DE GERUNDIVI

ET

GERUNDII

VI ANTIQUISSIMA ET USU RECENTIORE

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

L. BAYARD

Μέγα βιβλίον μέγα κακόν.

INSULIS

TYPIS LEFEBVRE-DUCROCQ

ANNO MCMII

DE GERUNDIVI

ET

GERUNDII

VI ANTIQUISSIMA ET USU RECENTIORE

DE GERUNDIVI

ET

GERUNDII

VI ANTIQUISSIMA ET USU RECENTIORE

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

L. BAYARD

Μέγα βιβλίον μέγα κακόν.

INSULIS
TYPIS LEFEBVRE-DUCROCQ

ANNO MCMII

VIRO ORNATISSIMO

DE LATINIS LITTERIS OPTIME MERITO

MICHEL BRÉAL

Libellum

D. D. D.

L. B.

PROOEMIUM

De ea Latinae linguae forma quae in *-ndus* desinit duae maxime quaestiones institui solent, scilicet *quae eius origo fuerit, quae significatio et usus*. Quarum unam hanc, illa doctioribus relicta, in hoc libello habere mihi propositum est.

De *gerundiuo*[1] autem et *gerundio*, ante hos quindecim annos disputarunt uiri doctissimi : quorum nomina singula sententiasque[2] enarrare, ut neque propositum mihi est hoc loco neque necessarium, ita in quas praecipue discedant partes, pretium operae erit indicare. Nam Dosson, cum anno 1887, de hac re scripsisset[3], totam quaestionem, quarto post anno, Weisweiler[4] retractauit, doctrinamque tradidit longe diuersam, immo saepe contrariam[5]. Quam

1. *Gerundiuum* in hoc libello uocatur id quod nostri pluribus uerbis *adjectif verbal en -ndus* uocare solent, *gerundium* autem id quod nostri *le gérondif*, ueteres autem *gerundi modus*, *uerbum gerundi*, appellabant. His uocabulis duobus fere iisdem eiusdem formae usus duplex melius fortasse distinguitur. Et *gerundiuum* cur non possit dici cum *indicatiuus*, *imperatiuus* modus dicatur, non uidemus. Usum igitur apud Germanos receptum retinebo.

2. Omnia collegit Lebreton : *L'adjectif verbal en -ndus, étude morphologique et sémantique*. (Extrait des *Mémoires de la Société de linguistique de Paris*, t. XI, p. 145-164).

3. *De participii gerundiui antiquissima ui, immutalataque posterius ratione*... Paris, 1897.

4. *Das lateinische participium futuri passiui, in seiner Bedeutung, und syntactischen Verwendung*. Paderborn, 1890.

5. V. Dosson, *laudato libello*, p. 27-28 ; cap. II, cap. III, passim ; et Weisweiler, *l. l.* cap. II, cap. III, passim.

enim formam in *-ndus* cadentem Dosson docuerat esse *praesentis* temporis, Weisweiler *futuro* uindicauit; quam ille saepius initio *passiuam*, interdum tamen *actiuam*, hic *nunquam non passiuam*; quam denique ille *assumpsisse* paulatim notionem *necessitatis*, *offici*, cet., hic *natiuam habuisse* ab initio contendit. Huic assensi sunt uiri docti, praesertim inster Germanos, permulti, inter quos nominandi uidentur Brugmann [1] et Delbrück [2]. At in Gallia, magis ad Dosson et Havet placita, etsi non in omnibus, accedunt M. Bréal [3] et V. Henry [4]. Denique anno proxime elapso (1900) commentationes de gerundii et gerundiui origine et usu doctissimas ediderunt J. Lebreton [5] et P. Persson [6]. Qui de huius formae significatione et usu partim Dosson, partim Weisweiler sequuntur.

Igitur inter doctos pauca constant, aut si quid omnibus placet, id non eodem modo aut nullo modo explicatur. Itaque significationem passiuam uel a priscis temporibus praeualuisse cum doceant, id *quo modo* factum sit nemo fere euoluit. Iam uero quidam in multas difficultates et angustias ideo adducti sunt, quod aut *qua aetate* forma quaeque et sensus uiguisset, aut quae esset uera *Latini participii natura*, non satis attente reputauerunt. Itaque dum coniungenda separant, separanda coniungunt, recentiora in rationem adducunt, tota gerundiui ac gerundii ratio perturbata est et obscurata.

Quae consideranti mihi succurrit alia et ex parte noua huius rei inuestigandae et explanandae ratio, qua, ut non

1. *Grundriss der vgl. Gramm.* II, p. 14-24.
2. *Vergleichende Syntax...* II, p. 489.
3. *Essai de sémantique*, p. 50 ; et *Mémoires de la Société de linguistique de Paris*, t. VIII, p. 307.
4. *Revue critique*, I, p. 49.
5. LEBRETON, *l. l.*
6. *De Origine ac ui primigenia gerundii et gerundiui latini.* Upsala, 1900.

spero omnes difficultates solui posse, ita posse impedimenta quaedam remoueri, unde fortuna gerundiui quae fuerit appareat, aditus securior ad soluendam de eius formae origine quaestionem pateat.

Sed huic disputationi instituendae melius fortasse uia munietur, si quaedam prius commemorauero, quae ex scriptorum libris deprompta historicis etiam constare monumentis uidentur. Haec qui habebit quasi in conspectu animi posita, is quid ratione et coniectura assequendum remaneat, melius perspiciet.

Formae igitur in *-ndo* desinentis quae fortuna fuerit si quis inuestigat, ordinem temporum a posterioribus ad priora repetens, is uidet in nouissimis temporibus plurimas fuisse significationes ; in superioribus quasdam earum non comparere, paucas remanere, in quibus de formae ui primigenia disceptari possit.

Nam uerba *agere* et *sequi*, si exempli causa adhibentur, *saeculo post Christum III°*, *agenda res* res est quae aut agetur[1], aut agi debet, *sequendae uiae finis* finis est uiae quam quis sequetur, aut sequi debet, aut sequitur. Habet etiam uerbum *sequor* aliam gerundiui formam, *secundus*, qua ordo maxime indicatur ; et gerundium (*sequendi sequendo*) quod aut nullo cum obiecto, aut saepissime[2] cum obiecti accusatiuo casu ponitur : *sequendo uiam*. *Augusti aetate*, eaedem significationes sunt, nisi quod futuri notio (*agenda res* = *la chose qui se fera)* iam non comparet. *Plauti aetate*, idem usus uiget, sed tunc *agendus* scribitur plerumque *agundus*[3], *sequendus* autem litteram *e* non *u*

1. Cf. Riemann et Goelzer, *Gramm. comp.* 631, iv.

2. Cf. Weisweiler, *l. l.* p. 111.

3. Cf. Herkenrath, *Gerundi et Gerundiui apud Plautum et Cyprianum usum comparauit.* Prag., 1894) (in Prager stud. üb. d. G. der Kl. Alterthumw, heft. 2, p. 4.)

habet ; iam uero gerundium cum accusatiuo obiecti rarissime comparet : quod utrumque notasse utile est, ut infra declarabitur.

Ante Plautina tempora, rara formae in *-ndus* desinentis uestigia, sed in eis quae occurrunt nec usus gerundii cum obiecti accusatiuo inuenitur, neque gerundiui ille usus quo designatur quid fieri debeat [1], aut futurum sit; gerundium sine obiecto, et gerundiuum siue passiue, siue actiue usurpatum, occurrunt. Nam gerundium legitur in *columna Rostrata* [2], anno U. C. 494 (ante Christum 260) Duellio posita : *Macelamque opidom ui pucnandod cepet.* Adest etiam gerundiuum passiua significatione adhibitum in fragmentis XII Tabularum quas decemuiri anno U. C. 304 (ante C. 450) proposuerunt : « *Quei cum telo hominis occidendi causa deprehensos fouerit, kapital estod.* » Quod capitulum qui refert Danetius [3] quo auctore receperit non declarat. Sed a primis Urbis Romae temporibus usurpatum gerundium, expressamque esse gerundiuo actionem quae fieret, aut actionis infectae meram notionem, confirmant uetustissimae sacrorum formulae a Catone seruatae, ut :

De ag. c. 134.2 : Iano struem (un gâteau) ommoueto sic : « Iane pater te hac strue ommouenda bonas preces precor uti sies uolens propitius mihi » ; 141.3 : « harunce rerum ergo, fundi terrae agrique mei lustrandi lustrisque faciendi ergo, sicuti dixi, macte hisce suouitaurilibus inmolandis esto. »

---

1. In legibus quae *regiae* dicuntur (Cf. GIRARD, *Textes de Droit romain* Paris, 1890, 4.3), pluries legitur *darier oportet*, nunquam *dandum est*, sed eae non multae sunt.

2. Quae in ea leguntur inscripta putat Mommsen initio imperii, temporibus Duelli defendit EDON, *Ecriture et prononciation du latin*, p. 74, n. 2.

3. *Dictionarium antiquitatum Romanarum et Graecarum*. Amstelodami MDCCI, p. 550.

Denique in iis quae *Leges regiae* [1] dicuntur haec habet capitulum quod a Numa Pompilio sancitum diu crediderunt, certe antiquissimum est :

Cuius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Ioui Feretrio bouem caedito; qui cepit, aeris ccc darier oporteat; *secunda* [2] spolia, in Martis aram in campo solitaurilia, utra uoluerit, caedito...

Praeterea in Oscorum et Umbrorum sermone, cuius pauca adhuc habemus exempla, gerundiuum inuenitur, non gerundium [3].

1. De earum origine et antiquitate, v. GIRARD, *Textes de Droit romain* (Paris, 1890), p. 3 sq.

2. Scribendum uidetur *sequonda*, cf. LINDSAY, *The latin Language*, p. 530.

3. LINDSAY, *l. l.* p. 543.. Osc.. *triibùm... ùpsannam deded*, domum... operandam dedit; Umbr... *esonir... popler anferener et ocrer pihaner*, sacris... populi circumferendi et arcis piandae.

PARS PRIOR

DE GERUNDIVI VI ANTIQUISSIMA

De ui antiquissima formae in *-ndus* desinentis ex his quae paulo ante memorata sunt, uidentur remanere quaerenda duo : *a)* utrum actiua fuerit aut passiua, an aliud quidpiam; *b)* utrum meram uerbi significationem in se habuerit aut participium fuerit praesentis, an aliud quidpiam.

CAPUT PRIMUM

QUOD AD *GENUS* VERBI PERTINET, GERUNDIVUM VIDETUR INITIO FUISSE PARTICIPIUM *MEDIO-PASSIVUM*, SEU PARTICIPIUM EORUM VERBORUM QUIBUS EA ACTIO DESIGNATUR QUAM QUIS *IN SE* AUT *SIBI* FACIT AUT PATITUR, ET PARTICIPIO IN *-ENS* DESINENTI RESPONDISSE.

1) Verbum Latinum qui aut cum reliquis Indicis et Europaeanis linguis comparat, aut eius apud priscos scriptores usum repetit, is adducitur ut binas [1] habuisse putet formas, quarum alterae quid quis *sibi* aut *in se* faceret [2], alterae actionem *non ita retransitiuam* exprimerent. Nam

1. Cf. Riemann et Goelzer, *Gramm. comp.* I, § 536.
2. Whitney, *A sanscrit Grammar*, p. 189; et Riemann et Goelzer, *ibid.*

ut omittam Indici uerbi genus ita distingui ut alteram *sibimetipsi uocem*[1], alteram *alii uocem* habeat, Graecum uerbum aut medium est aut actiuum. At *medio* seu *reflexiuo* uerbo[2] cum Indi tum Graeci saepe utuntur ad exprimendam *passiuam* significationem. Neque id quidem mirum est : nam, ut docuit doctissimus uir M. Bréal[3], a maioribus ita sententiae ratio instituta est ut in ea, quasi in fabula actor, subiectum semper agentis uices gerat. Itaque ad sensum passiue declarandum reflexiuis seu mediis maxime formis usi sunt, in quibus subiectum ut agens (*in se* aut *sibi*) induceretur.

Quod ita factum esse in Latino sermone, et ratio ipsa propter originis similitudinem ac communitatem suadet, et uetera litterarum monumenta testantur. Nam simul cum eis formis mediis, quae cum alibi, tum maxime in uerbis *deponentibus* apparent, fuisse uidentur etiam actiuae formae, quorum maior pars euanuit, paucae remanserunt. Ita cum *pigneror pignero* remansit, sed cum *utor* fuisse quondam **uto*, quod periit, Catonis *utito* (*Agr. Cult.* 96, 123) admonet. Atque formae mediae passiua significatione interdum adhibitae sunt : quod de uerbo *pignerari* certum est, de uerbo *uti* Gellius (15.23) testatur.

Itaque quod ad usum[4] attinet, ut in Indica et Graeca lingua, sic et in Latina fuit initio genus uerbi duplex, alterum actiuum, alterum medium quod etiam passiue usurpatum est. Iam apud Graecos (et Indos) haec distinctio

---

1. Atmanepadam = *sibi ipsi uox*; parasmaipadam = *alii uox*.
2. Cf. RIEMANN et GOELZER, o. c. § 204 sq. WHITNEY, o. c., p. 189.
3. *Essai de sémantique*. p. 94, ubi haec maxime notanda sunt. « Ce n'est pas que l'idée du passif fût difficile à concevoir: « je suis frappé » n'est pas plus malaisé à comprendre que « je frappe ». La difficulté venait d'ailleurs : elle venait du plan de nos langues, qui est en contradiction avec l'idée passive, les langues indo-européennes présentant la phrase sous la forme d'un petit drame où le sujet est toujours agissant. »
4. Hoc modo loquendum uidetur : nam fuerintne in Latino sermone formae medio-passiuae *etymologia* similes Graecis, hic non agitur. De ea re, uide, sis, quae disserit RIEMANN et GOELZER, *Gramm. comp.* I, le médio-passif, § 536, sq.

formae actiuae et mediae non tantum in uerbo proprie dicto inuenitur, sed ad participium etiam extenditur: quod est ad φέρω φέρομαι, hoc est ad φέρων φερόμενος. Quae cum ita sint, quidni et in participio Latino idem seruetur, ut quae sit ratio uerbi *uoluor* ad *uoluo,* eadem sit participii *uoluendus* ad *uoluens*? Hoc et propter Latinae linguae cum illis communitatem ratio suadet, et ut iam ostendam priscorum scripta testantur.

2) Sunt enim in Latino sermone formae quaedam, e quibus gerundiuum initio participium fuisse medii uerbi colligi potest. Sed earum de sensu antequam dissero uidetur paucis de numero dicendum. Nam qui eum numerum, duce Dosson [1], satis amplum proferunt, non satis aut quis quamque formam scriptor praebeat, aut quo quaeque usu adhibeatur, distinguunt. Nos qui antiquissimam uim gerundiui quaerimus et aetatem unius cuiusque formae et sensum diligenter attendere debemus. Nam cum gerundiuum multas aeuo significandi uicissitudines expertum sit, de eius ui primigenia non eadem auctoritas Plauti et Lactanti scriptis tribuenda est. Itaque a quaestione interim remouendae uidentur formae ut sunt *adolescendus* [2] A. G. *Noct. Att.* x.10, *circumeundus* Varr. *R. R.* III, 16.31, *circumtinniendus* Varr. *R. R.* III, 16.30 (quae quidem transitiua uox est), *florescendus* C. I. L. I p. 317, *nascendus* A. G. *N. Att.* III, 10.7, *renascendus* Varr. apud Aug. *De ciu. Dei* 22.28, *nauigandus* Ulp. *Dig.* IV, 9, 1, *senescendus*

1. Dosson, o. c. p. 33-36, has cum exemplis proponit: *Commolenda, coinquenda, deferunda, adferunda, scribundus, adolescendus, circumeundus, circumtinniendus, florescendus, labundus, oriundus, nascendus, renascendus, nauigandus, placendus, pereundus, secundus, senescendus, tabescendus, uoluendus;* quibus alii addunt *adolenda, turunda, rotundus, calendae,* cet... Cf. Persson, *l. l.* p. 91.

2. Praeterea in capitulo prolato, scil. « Praeter hoc modum esse dicit summum *adolescendi* humani corporis septem pedes » fortasse *adolescendi* est gerundium. Cf. Plaute, *Capt.* 852. « *Nominandi* istorum tibi erit magis quam *edundi* copia. » — Item, in hoc loco Varronis « Fumo leni *circumeundo* cogunt eas (*sc.* apes) intrare », *circumeundo* mihi idem uidetur esse atque « Fumo leni *dum circumeunt,* cogunt... »

Varr. *L. L.* vi, 11, *tabescendus*, Lact. *De m. persecut.* xxxiii, 9.

Iam uero Plauti nec *pereundus*, nec *placendus*, nec *abstandus* in rationem adducere oportet in his uersibus :

Si illa tibi placet *placenda* dos quoquest quam dat tibi (*Trin.* 1159).
Haecine ubi scibit senex,
Puppis *pereunda est* probe (*Ep.* 73. 74).

Nam ex formula necessitatem exprimente *pereundum est*, *placendum est*, ridiculo usu hic orta sunt. Iam in hoc uersu : « Amor ignorandust, procul adhibendus, atque *abstandus* », hoc *abstandus* ad similitudinem *ignorandust*, *adhibendus*, conformatum est. — Denique nomina dearum ut *adolenda*, *conmolenda*, *coinquenda*, *deferunda*, *adferunda*, *scribunda*, quid significent non satis apertum est [1]. Haec omnia cum uideantur a quaestione, ut recentiora aut obscuriora, remouenda, retinemus tantum uerba summae antiquitatis et sensus apertissimi quattuor : *labundus*, *oriundus*, *secundus*, *uoluendus*.

Labundus. — Unda sub undis *labunda* sonit (Att. *Phinid.* fr. i. v. 570. Ribb. i. p. 179).

Oriundus. — O pater, o genitor, o sanguen dis *oriundum*. (Enn. *Ann.* 117).

Voluendus. — Clamos ad caelum *uoluendu'* per aethera uagit. (Enn. *Ann.* xvi, v. 472).

Quo *uoluenda* micant aeterni sidera mundi (Lucr. v, 116).
Glans etiam longo cursu *uoluenda* liquescit (Id. vi, 179).

Horum autem uerborum tria (*labundus*, *oriundus*, *uoluendus*) ad id genus pertinent quae cum eiusmodi actionem exprimant quam qui facit idem patitur, maxime ad *retransitiuam* [2] significationem accedunt. Quod etiam noster sermo admonet, in quo labundus *qui glisse*, aut *qui se glisse*, oriundus, *qui s'élève*, uertitur ; et in ipsa Latina

1. De eis qui optime disputauit Persson abesse putat notionem necessitatis. Quod ad nostrum propositum satis est.

2. Cf. Whitney, o. c. p. 189 ; et Graecum usum, in quo, v. gr., ἐφωρμησάμην = ἐφωρμήθην.

lingua potest animaduerti, in qua *uoluendus*, eodem sensu quo *uoluens* (= *uoluens se*) usurpatur, ut fit apud Vergilium : *uoluentibus annis Æn.* I. 234, *uoluendis mensibus* I.269, *uoluenda dies* IX.7. Iam uero quod ad *uoluendus* attinet, cum ea figura ad aeuum exprimendum, poetae Latini aut ueteres aut ueterum imitatores utuntur, Homerum maxime, ut Dosson intellexit, sectari uidentur. Nam Homerica (περιτελλομένων ἐνιαυτῶν *Il.* II. 551. περιπλομένου ἐνιαυτοῦ *Od.* I. 16. XI. 248) illa Lucretiana et Vergiliana (*uoluenda aetas N. R.* v. 1274, *uoluenda dies Æn.* 9.6, *uoluendis mensibus Æn.* I. 269) ad uerbum referunt. At in his locis uerba Graeca media esse cum nemo non fateatur, Latina quis iure neget?

Et illud in rationem adducendum est quod in eiusmodi locis Latini poetae *uoluens* cum metrum poscit, secus *uoluendus,* semper adhibent : nam Vergilius, in fine metri *uoluentia plaustra*, *uoluentibus annis* dicit. At salua ratione metrica cum posset Lucretius « *uoluens* » inserere noluit, sed ita scripsit :

Sic uolenda aetas commutat tempora rerum (*N. R.* v, 1274).

Igitur testibus Romani carminis antiquis *uoluendus* forma media uidetur.

Iam *oriundus* plerique etymologi ad eandem stirpem referunt, unde ὄρνυμι repetunt : certe quod ad sensum pertinet, non ad ὄρνυς sed ad ὀρνύμενος referendum uidetur.

Denique *secundus* maxime huic sententiae fauet, et nobiscum facit. Testis enim est inter omnes egregius, et quod antiquissimis monumentis apparet, et quod quas significandi uices habuerit satis notum est. Exemplum uocis e *Legibus regiis* petitum iam ante protulimus (*secunda spolia*) quibus hoc Enni addam :

Si te *secundo* lumine hic offendero,
Moriere. (Enn. *Med.* fragm. XI, v. 274-275).

Sed *secundus* actiuae esse significationis omnes consen-

tiunt[1], retransitiuae alii aiunt, alii negant. Inter hos eminet Persson, cuius uerba, cum ei assentiri non possim, referre iuuat. Dicit enim : « Exstat tamen actiua significatio in una priscae notae forma, dico *secundus* (**sequondos*) proprie « folgend », neque admodum uerisimile est hanc actiuam significationem e reflexiua quadam (uelut « qui iungitur », cf. Weisweiler, p. 55), natam esse. Verbum enim quod est *sequi*, iam ieur. aetate actiuam uim habuisse uidetur (cf. sanscr. *sácate* = gr. ἕπεται). » Haec Persson[2] : ego uero auctoritate nisus uirorum doctissimorum, censeo e reflexiua seu retransitiua significatione esse ortam illam quam *actiuam* dicunt. Nam eiusdem stirpis esse ἕπειν, unde ἕπομαι, ἑπόμενος, et *sequor*, unde *secundus*, nemo nescit etymologorum, sed hoc cum constet, illud etiam animaduertendum est, quod cum sit ἕπειν transitiuum (*Homer Il.* 6.321 ἕπειν τεύχεα), ἕπομαι, ἑπόμενος reflexiuum est, ideoque intransitiuum (ἕπεσθαί τινι)[3].

At uero, cum sit *sequor* transitiuum, *secundus* intransitiuum remanet. Itaque qui comparari potest *sequor*, cum ἕπομαι, *secundus* cum ἑπόμενος? qui dici potest, quod nos dicimus, *secundus* esse participium reflexiuum cum minime reflexiuum uerbum *sequor* sed transitiuum uideatur ?

Soluitur difficultas, si quis quae sit uere *uis transitiua*, et unde interdum oriatur, animaduertit. Neque enim ab initio illam quam fingimus *uim transitiuam* omnibus uerbis maiores nostri addiderunt : imo fuisse tempus opinantur

1. Qui negant, ut Weisweiler, ideo negant quod eodem sensu «*actiuum*» atque « *transitiuum* » accipiunt. Dicit enim Weisweiler, o. c. p. 55. « Derselbe (Pott) bemerkt... die Bedeutung von *oriundus* sei nicht mehr activ als die von *orior*, was eig. ia von der Reflexivbedeutung ausgehe (« sich erheben » vgl. *ortus*) ; dasselbe gelte von *unda labunda* (« dahin gleitend » von *labi*) und nicht minder von *secundus*, das nicht wie *sequens* die Rection eines von ihm abhängigen Kasus zulasse.»

2. Persson, *l. o.* p. 93.

3. Bréal, *Essai de sémantique*, p. 217 ; Weisweiler, o. c. p. 55 ; Bailly. *Dictionnaire grec*. Hoc addendum uidetur quod ipse Persson comparat *sequitur* cum *sácate* et ἕπεται : at ἕπεται quis negat medium esse ?

uiri docti[1] cum nulla essent uerba nisi quae « neutra » dicuntur. Quod ad uerbum « sequor » attinet intellexit M. Bréal non semper *transitiuum* fuisse hoc uerbum, sed cum prius Graeco ἕπομαι responderet, paulatim analogia uerborum Latinorum quae *motus* dicuntur (v. g. *peto*), factum transitiuum[2]. Quae si ita sunt, ulterius mihi uidetur esse progrediendum, et quod de uerbo *sequor* dicit locupletissimus antiqui usus testis, id de eius participio dicendum. Nempe uerbi *sequor* prius reflexiui, medii, intransitiui, postea transitiui facti, remansit participium *secundus* reflexiuum, medium, intransitiuum. Haec autem causa fuit cur remaneret intransitiuum, quod aderat alterum participium actiuae formae, *sequens* dico, quod illas partes transitiuae significationis exprimeret.

Itaque *secundus*, *uoluendus*, *oriundus*, *labundus* sunt medii seu reflexiui uerbi participia. Iam uero in tam antiquis monumentis inueniuntur ut nulla sint antiquiora.

3) Ex eorum igitur testimonio colligi potest gerundiuum initio participium esse medii uerbi, nisi essent qui eas formas neglegendas putent[3], quod paucissimae sint et naturam participii uix habeant.

Sed haec non bene obiciuntur. Nam, ut paucissimae essent, hoc maxime effecit, quod reflexiuo usu uerba ac gerundiua Latina passiuam significationem, eo qui infra

1. Bréal, *Essai de sémantique*, p. 210. « Non seulement les verbes neutres sont les plus anciens, mais on doit admettre une période où il n'y avait que des verbes neutres. Je crois, en effet, que les mots ont été créés pour avoir une pleine signification par eux-mêmes, et non pour servir à une syntaxe qui n'existait pas encore. »

2. Bréal, *Essai de sémantique*, p. 217. « *Sequor* signifiait littéralement « je m'attache » : il correspond au grec ἕπομαι qui prend après lui le datif : mais on a dit *sequi feras*, *sequi uirtutem*. »

3. Delbrück, *Vergl. Synt.* II.489 : « Ich nehme mit Weisweiler an, dass in unserer Form von Anfang die Idee des Sollens enthalten war... Demnach ist für *oriundus*, *labundus*, *uoluendus* eine besondere Erklärung zu suchen. » Cui respondet V. Henry (*Revue critique*, 1898, I, p. 49) : « En ce cas, le type *oriundus* serait inexplicable et l'auteur en convient. C'est parsemer la science d'énigmes à plaisir. » Cf. Lebreton, *l. l.* 15 [159] ; Persson, *l. l.* p. 95.

dicetur modo, assumpserunt; ut autem, ceteris passiuam significationem assumentibus, hae formae actiuae remanerent, illud maxime effecit quod propter usum attributiuum frequentissimum magis adiectiua quam participia esse uidebantur. Itaque, dum in *participiali usu*, passiuum sensum forma in *-undus* (*arbor ferundo fructu peribit*), actiuum forma in *-ens* (*arbor ferens fructum nulla*), occupat, hae formae, *attributiue aut adiectiue usurpatae* (*secunda spolia, uoluenda aetas, est dis oriundus*), sensum actiuum suum, ueteremque figuram, *alio,* ut ita dicam, *transferentes*, seruauerunt. — Quod ita fieri potuisse similis nostri sermonis usus ostendit. Nam et in Gallica lingua genus quoddam participii alio excludente periit, quod fuisse quondam orta ex eo adiectiua uel substantiua nomina testantur. Ex eadem enim radice orta esse nemo nescit et participia *différant*, *équivalant*, *excellant*, et adiectiua uel nomina *différent, équivalent, excellent*. At utraque cum ex eisdem participiis Latinis in *-ens* desinentibus originem duxerint (*sc.* ex *differentem, aequiualentem, excellentem*) fieri debebat ut non solum adiectiua, sed etiam participia, in *ent* desinerent [1]. Nunc cum ad uerbi *amare* similitudinem, reliquae declinationes conformarentur, factum est etiam ut ad *amantem* reliqua participia omnia reformarentur. Quae reformatio, quod ad participia attinet, ita principalis atque uniuersa in nostro sermone fuit, ut nullum reperiatur participii in *ent* desinentis uestigium, nisi quod *adiectiua quaedam ac substantiua nomina*, uelut ea quae paulo ante protuli,

1. Cf. BRUNOT, *Gramm. Histoire de la langue française*, § 359. « Le participe présent n'était pas identique en latin dans toutes les conjugaisons. La première seule avait un participe en *ans*, *antem* ; les autres l'avaient en *ens*, *entem*. *Amantem* de la première devait donc donner *amant* ; *currentem* de la troisième devait donner *curent*. Mais on ne trouve aucune trace de formes participiales en *ent*. Dès l'origine, tous les participes, à quelque conjugaison qu'appartînt le verbe, ont été reformés sur les participes des verbes de la première, et se sont uniformément terminés en *ant*. »

obsoletam declinationem retinuerunt. Ita factum uidetur et in Latini sermonis immutatione : in quo dum, in participiali usu, forma in *-ns* desinens (*sequens*) ad actiuam significationem exprimendam praeualet , et ab eo usu excludit formam in *-ndus* cadentem, haec ad partes passiuae significationis (*sequendo itinere*), eiusque solius exprimendae, tota transiit, nisi quod in attributiuo uel adiectiuo usu (*secunda spolia*) priscum aliquando genus, reflexiuum seu medium scilicet, ideoque actiuum, retinuit. Ea tenus *secundus, labundus, oriundus, uoluendus* antiquissimum gerundiui usum testantur.

CAPUT SECUNDUM

QUOD AD *TEMPUS* PERTINET, GERUNDIVUM EST PARTICIPIUM *INFECTI*, SEU *IMPERFECTI*, PARTICIPIO PERFECTI IN *-TUS* DESINENTI OPPOSITUM.

1) Binas esse in uerbo Latino temporum series nemo est quin sciat, quidam obliuiscuntur, ducibus iis quos Varro reprehendit in libro *De lingua Latina* nono : « Primum quod aiunt analogias non seruari in temporibus, cum dicant *legi*, *lego*, *legam*, et sic similiter alia, nam quae sint ut *legi* perfectum significare, duo reliqua *lego* et *legam* inchoatum, iniuria reprehendunt. Nam ex eodem genere et ex diuisione idem uerbum quod sumptum est per tempora traduci potest, ut *discebam, disco, discam*, et eadem perfecti, sic *didiceram*, *didici*, *didicero*... Item illud reprehendunt quod dicamus *amor, amabor, amatus sum* : non enim debuisse in una serie unum uerbum esse duplex cum duo simplicia essent. Neque ex diuisione si uniusmodi ponas uerba, discrepant inter se : nam infecta omnia simplicia similia sunt ; et perfecta duplicia inter se paria

in omnibus uerbis ut haec : *amabar, amor, amabor* ; *amatus eram, sum, ero.* (*L. Lat.*, IX.96). Sunt igitur, teste uiro Romanorum disertissimo[1], uerborum temporalium series binae, quarum in altera *perfectum* quouis tempore, in altera quouis tempore *imperfectum* exprimitur. Sed *perfectum* et *imperfectum* non modus notat quo uerba desinunt (quo quidem modo personae et tempora designantur), sed modus quo uerba incipiunt. Hoc idem Varro testatur : « Similiter errant qui dicunt ex utraque parte uerba omnia commutare syllabas oportere, aut nullum in his : *pungo, pungam, pupugi, tundo, tundam, tutudi* ; dissimilia enim conferunt uerba infecti cum perfectis. Quod si infecta modo conferrent, omnia uerbi *principia* incommutabilia uiderentur, ut in his *pungebam, pungo, pungam,* et contra ex utraque parte commutabilia, si perfecta ponerent ut *pupugeram, pupugi, pupugero.* (*L. L.* IX.99).

At quod in uerbo finito seu temporali esse testatur Varro, id et in uerbo infinito esse deprehenditur. Concordant inter se principiis *lĕgere* cum *lĕgo, lēgisse* cum *lēgi,* nec non *lĕgens* cum *lĕgo, lĕgere,* atque cum *lĕgens lĕgendus.* — Itaque si etymologiae seu figurae rationem habemus uerisimile est, ut *legens*, ita *legendus* imperfectum seu infectum exprimere.

2) Iam quod etymologia indicat, id usus uerbi confirmat. Nam gerundiuo eodem modo scriptores utuntur atque eo quod *praesens* dicitur participio.

Negant id quidam, sed, opinor, iniuria, eo quod inter *tempus* et *actionem* quid intersit, non satis reputant. Nam si uelis proprio res nomine uocare, uix dici potest *praesens*, seu *praesentis* participium. Participium enim *praesens* tempus non indicat nisi eo tantum sensu quod siue

1. Quintilien, x.1.

in praesenti, siue in praeterito, siue in futuro, actionem eam designat *quae fit dum alia fit*, id est actionem *imperfectam*. Itaque cum futuri etiam aut praeteriti uerbo coniungitur. Sic Vergilius, *Æn.* I. 261.262:

> Fabor enim...
> Longius et *uoluens* fatorum arcana *mouebo* ;

sic Tullius, *De Sen.* 16.55:

> Curio ad focum sedenti Samnites magnum auri pondus attulerunt.

Contra, participium quod dicunt « praeteritum » nomen eatenus decet, quatenus actionem designat, quae *dum alia fit*, siue in praesenti, siue in futuro, siue in praeterito, iam est *perfecta*, ideoque *praeterita* [1].

Illud quoque admonendum est quod in Latino sermone ad exprimendam meram uerbi significationem [2] infecti participium transfertur, ut ceterae infecti uerbi formae.

Denique est apud Romanos, ut apud Graecos, uerborum usus quidam poeticus, quo tempus alterum pro altero usurpatur, ut fit, cum dicit Vergilius in *Æneide* 9.265: « Cratera antiquum quem *dat* Sidonia Dido. » Hic enim *dat* idem est atque *dedit,* aut *dederat.*

Haec si quis attendet, melius intelleget quo sensu accipiendi sint loci, in quibus gerundiuum eodem sensu poni uidetur ac *praesentis* participium. — Eiusmodi locos eos proferemus, qui aut in antiquissimis monumentis reperiuntur, aut ita sunt ut rem propositam maxime probent.

Primo loco ea ponenda sunt exempla quae gerundiuum perfecti participio opponentes, aut cum infecti participio coniungentes, infecti participium esse maxime ostendunt. Haec autem maximam partem e Dosson [3] repetam.

---

1. Cf. sis, quae de ea re scripsit Meillet, *Revue de Philologie*, 1897: *De l'aoriste en latin*, initio; aut quae posui in meis *Notes de Grammaire latine* (ch. III). Paris, 1898.
2. Quod nos dicimus « l'action verbale pure et simple ». Cf. RIEMANN et GOELZER, *Gramm. comp.* II, § 218-219.
3. DOSSON, *l. o.* p. 30-31.

Donum ne capiunto, neue danto, neue *petenda*, neue *gerenda*, neue *gesta* potestate. (Cic. *Leg.* III. 4.11.)

Partis honoribus, eosdem in foro gessi labores, quos *petendis*. (Cic. *Phil.* VI. 6.17.)

Et ne criminibus aut *inferendis* delectetur, aut credat *oblatis*. (Cic. *De Amic.* 18.65.)

Non erat minor (laus) ex *contemnenda* quam ex *conseruata* prouincia. (Cic. *Dd Fam.* II. 12.3.)

Quae ante *conditam condendamue* urbem .. traduntur... (Liv. I. *Praef.* 6.)

Fessos milites... quippe qui... *capienda* urbe tantum laboris periculique adissent, et *capta* cum iis qui in arcem confugerant, iniquo etiam loco pugnassent, curare corpora iussit. (Liv. XXVI. 48.1.)

Quo senatus consulto *recitato*, cum continuo more hoc insulso et nouo, plausum meo nomine *recitando* dedissent. (Cic. *Att.* IV. 1.6).

Seruabant auspicia reges ; quae hic consul augurque neglexit, neque solum legibus contra auspicia *ferendis*, sed etiam collega uno *ferente* eo, quem ipse ementitis auspiciis uitiosum fecerat. (Cic. *Phil.* III. 4 9.)

Conuiuium celebrabat, nihil *metuens*, an *dissimulando* metu cum ingressi milites... dixere. (Tac. *Ann.* XV. 69.)

Quae exempla et plura his proponenti Dosson, Lebreton [1] cum alia, tum hoc obicit, quod uniuersum Latini sermonis usum non magis repraesentant, quam alia alibi ab eodem proposita, in quibus quid futurum sit, aut quid propositum, declaratur. Sed nos hic non de perpetuo usu agimus, cum usus saepe diuturnitate temporis mutetur, sed de antiquissimo, qui quatenus permanserit, haec exempla ostendunt, qualis priscis temporibus fuerit, alia indicant, quae nunc, ad testes prouocans magis ac magis graues, proponam.

Exstant enim, in libello M. Porci Catonis *De agri cultura* precum formulae quaedam in sacris adhibendae.

Quas antiquissimas esse, et hoc admonet quod ad caeri-

1. *L. l.* [162]. « En admettant même que tous ces exemples fussent concluants, cette liste ne prouverait ni plus ni moins pour l'usage général de la langue latine, que les exemples aussi nombreux cités p. 76-79, et dans lesquels l'adjectif en *-ndus* a le sens futur ou intentionnel. »

monias pertinent uetustissima consuetudine traditas, et ipsa oratio comprobat.

Agrum lustrare sic oportet... Ianum, Iouemque uino praefamino, sic dicito : « Mars pater, te precor quaesoque uti sies uolens propitius mihi..., pastores pecuaque salua seruassis, duisque bonam salutem ualetudinemque mihi domo familiaeque nostrae : harumce rerum ergo..., macte hisce suouitaurilibus *inmolandis esto...* » Ubi porcum inmolabis, ...sic oportet : « eiusque rei ergo macte suouitaurilibus *inmolandis* esto. » (*A. C.* 141. 1. 2. 3. 4.)

Cum pollucere oportebit, sic facies : « Iuppiter dapalis..., macte hac illace dape *pollucenda* esto. » (*A. C.* 132.1.)

Priusquam messim facies, porcam praecidaneam hoc modo fieri oportet... Iano struem ommoueto sic : « Iane pater te hac strue *ommouenda* bonas preces precor. » Postea Iano uinum dato sic : « Iane pater uti te strue *ommouenda* bonas preces bene precatus sum, eiusdem rei ergo macte uino inferio esto. » (*A. C.* 134, 2.3.)

His in formulis uoces saepe recurrentes, « *ommouendus, inmolandus* », id quod agitur cum agitur aliud, aut saltem uerbi ipsius actionem exprimunt, sed eam *infectam*[1]. Quo in casu utroque, ex supra dictis, praesentis participia uocari possunt.

3) Huc accedunt formae illae actiuae, ut *labundus, oriundus, secundus, uoluendus*. Quas et ipsas nihil exprimere nisi uerbi actionem ipsam concederem, modo, addito uno uerbo, dicerent « actionem *imperfectam* ».

Nam quod de significatione praeterita uerbi *oriundus* disputat Lebreton, non satis ad rem aptum est : « D'ailleurs les adjectifs actifs sont encore ici des témoins précieux ; le suffixe y apparaît comme entièrement dénué de signification temporelle qui lui soit propre. Ainsi, dans ce passage d'Attius, *unda labunda sonit* (*Phinid.*, fr. I, v.570)

1. Eatenus his assentiri possum quae Lebreton dicit *o. l.* 18 [162]. « Que l'on parcoure au contraire les seize cents exemples que M. Snellmann a relevés dans les discours de Cicéron et l'on se convaincra, je crois, que l'adjectif en *-ndus* n'a de lui-même aucune signification temporelle, mais que comme je l'ai dit plus haut, après M. Bréal, il n'exprime pas autre chose que l'idée de l'action soit active, soit passive. »

labunda équivaut à *quae labitur*, et a le sens présent ; au contraire dans le vers d'Ennius, *Ann.* 117 :

O pater, o genitor, o sanguen dis *oriundum*,

oriundum équivaut à *ortum*, et a par conséquent le sens passé. » Haec dum distinguit doctissimus uir, timeo ne non satis reputet esse poeticum Latini sermonis usum, quo praesentia tempora tanquam praeterita adhibentur. Haec cum iam ante (p. 17) monuerimus, satis sit hic aliud exemplum proponere, in quo uerbum eiusdem significationis atque *oriundus* adhibetur :

At Maiam, auditis si quidquam credimus, Atlas,
Idem Atlas *generat*, caeli qui sidera tollit. (Verg., *Æn.* VIII. 142.)

Hoc loco, *generat* idem est atque *generauit, genitor est*; at eodem modo adhiberi potuit *generans* ; quidni et *oriundus* eodem sensu adhibeatur quo *qui oritur*, et idem atque *natus* seu *filius* significet ? Ita Gallice *deorum natum* appellare possumus : « ô sang *qui sors* des dieux », ubi *qui sors* idem est atque *qui es sorti*.

Nec bene, ut ostendatur in gerundiuo non esse uim temporalem ad Graecum sermonem prouocatur. Dicit enim Lebreton, *l. op.* 18 [162] n. 1. « Dosson cite, par exemple, pour prouver le sens temporel de l'adjectif en *-ndus: Caesar pontem faciendum curat.* Mais je ne vois encore ici que l'idée verbale, comme dans la phrase française : *César s'occupe de la construction d'un pont.* Ce serait faire un contre-sens que de traduire en grec : Καῖσαρ ἐπιμελεῖται γεφύρας ποιουμένης (*César s'occupe d'un pont qu'on était en train de construire*). » Bene haec, sed contra nos, qui fateamur *faciendam* nihil exprimere nisi uerbi actionem, sed eam infectam, nihil faciunt ; nec iure ad Graecum prouocatur : nam *pontem faciendum curat*, bene uertas : ἐπιμελεῖται τοῦ γεφύραν ποιεῖσθαι. Siquidem Graeci et Latini sermonis ratio ne in omnibus sit eadem *articulus* maxime facit, quo Latini carent. Itaque, quod Graeci *articulo* cum infinitiuo uerbi coniuncto, hi participio passiuo utentes

exprimunt, et uerbi ipsius notionem, quam nos abstracto quod dicunt nomine (*la construction d'un pont*), hi gerundiuo passiuo (*pontem faciendum*) repraesentant. Sed ex eo iniuria colligas gerundiuum non esse participium praesentis, seu melius infecti : nihil enim hic adest nisi participii usus quem translatum[1] dicunt.

Quem usum et in Latina lingua interdum participium perfecti, et in nostra[2] utrumque participium ita habet, ut grammatici[3] quidam melius dici putent, non *participe présent,* aut *passé,* ut nunc fieri solet, sed *participe actif* ou *passif,* ut a maioribus dictum est.

Sed ut in Latina lingua disputatio contineatur, qui negant gerundiuum participium esse *praesentis,* quod nihil aliud exprimat nisi eiusdem stirpis abstractum seu incorporale nomen, cur idem non dicunt cum de participio *praeteriti* agitur. Quid, quaeso, quod ad usum pertinet, interest inter *conditum* et *condendum* in hoc T. Liui[4] notissimo loco : « *Ante conditam, condendamue urbem* », nisi quod alterum perfecti, alterum imperfecti seu infecti participium est. Nec aliud quicquam interesse inter sequentes sententias si quis comparauerit, inueniet.

Ex eo auro buculam *curauit faciendam.* (Cic. I. *Div.* 24).

Secundae res transuersum trudere solent a recte *consulendo.* (Cat. *Orig.* 23 ed. Jordan).

Inuentum tibi *curabo* et mecum adductum tuum Pamphilum. (Ter. *And.* 624).

Priusquam incipias *consulto* ubi consulueris mature *facto* opus est. (*Sall. Cat.* 1.6).

Quodsi *condendam, faciendam, consulendo* quasi nomina

1. Cf. Riemann et Goelzer, *Gramm. comp.* II, § 218.
2. Cf. Racine, *Athalie* I, 1:

    Faut-il Abner vous rappeler...
    Des tyrans d'Israël les célèbres disgrâces,
    Et Dieu *trouvé* fidèle en toutes ses menaces... ;
    Elie aux éléments *parlant* en souverain,
    Les cieux par lui *fermés* et devenus d'airain...
    Les morts se *ranimans* à la voix d'Elysée ?

3. Cf. Clément, *Grammaire française.* Paris, 1887, § 927.
4. T. L. *Praef.* 6.

sunt [1], eodem iure habeantur aequum est *conditam*, *inuentum*, *adductum*, *consulto*, *facto*. At haec qui aiunt *participia praeteriti* esse, qui fit ut illa *praesentis participia* esse negent? Quod ad *participium* pertinet eadem causa est, nisi quod haec perfectam actionem, illa imperfectam connotant. Itaque, aut desinant *facto* participium *praeteriti* dicere, aut *faciendam* participium *praesentis* dicant. Ego quidem mallem participia infecti, et perfecti dicerent.

4) Sed a quibusdam, ut ostendatur gerundiuum participium non esse *praesentis*, non tantum ad sensum uerbi prouocatur, sed etiam ad formam. Weisweiler [2] enim formas in *-endus* desinentes tertiae ant quartae declinationis, ut *legendus*, *audiendas*, ad stirpem futuri (*legentur*) refert, formas, quae in *-undus*, *-andus*, aut secundae declinationis in *-endus* cadunt, ad praesentis radicem (*leguntur*, *mouentur*) : sed futuri notionem ad has etiam ab illis ab antiquissima aetate transisse.

Haec, etsi sagacissimi uiri sunt, non tamen uidentur ueritatem referre. Nam contra facit uel unum quod habemus formae in *-endus* tertiae declinationis exemplum, *uoluendus* dico : id enim praesens tempus, certe non futurum designat, nec enim aliud est *uoluenda aetas* (Lucr. v 1274) quam aetas quae *uoluitur*, non quae *uoluetur*.

Sed ab initio fuisse formas alteras in *-endus* cadentes alteras in *-undus*, qui probatur? Sane quidem iam a Plautinis temporibus utraque forma deprehenditur. Sed hoc maximi est momenti quod in quibusdam uerbis forma in *-endus* exiens, altera exclusa, sola retinetur. Haec autem

1. Cf. LEBRETON, o. c. 18 [162], n. 2, superius positum, p. 19, n. 1.

2. WEISWEILER, *o. l.* p. 18. « Hier sei vorlaüfig nur kurz daraus hingewiesen, dass die gewöhnliche Gestalt unserer Partizipialform bei Verben der sog. dritten und vierten Konjugation auf *-endus* genenüber der andern auf *-undus* in der That das Partizip des Futurs auf *-am*, *-ent* in Passiv zu sein scheint, wie auch die zahlreichen Verbaladiectiva auf *-bundus*, sich als Partizipien vom Stamme *-bo* im Passiv darstellen.

uerba ea sunt[1], a quorum radix aut terminabatur in *u* (*v*), aut in ultima syllaba *u* uocalem continebat, cuiusmodi sunt : *coquere, loqui, luere, soluere, uoluere,* alia, deinde *consulere, currere, ducere, sumere, uti,* fortasse etiam *fugere, tussire.* » Quod quam late pateat, nemo non uidet. Nam, *-ŭndus* ex *-ŏndus* processisse doctissimi uiri[2] docent, et analogia suadet. Iam uero coniunctio litterarum *u* et *v* (*quum*) diuturno tempore Latinorum auribus displicuit[3]. Haec cum ita sint, facile quidem fuit, ut **repetondus repetundus* fieret, sed **uoluondus* ualde impeditum fuit[4]. Igitur cum uol*uu*ndus fieri non posset, factum est *uoluendus*, cum aliis de causis, tum maxime, opinor, quod gerundiuorum in *-endus* secundae declinationis (*ommouendus*) similitudine trahebatur. Ita ex eodem *-ŏndus*- facta sunt diuersa scriptura *labundus*, et *uoluendus*. Igitur si ab uno fonte, *-ŏndus* dico, diuersa tamen uia, *-undus* et *-endus* processerunt, non est quod e diuersitate formarum, quae posterius orta est, sensus diuersitatem primitiuam, quae in antiquissimis Latinae linguae reliquiis non comparet, effingamus.

Itaque ab ultima antiquitate cum in ipsa gerundiui forma notio *temporalis* propria non insit, sed *infecti,* ideoque *praesentis* interdum temporis, nunquam uero

1. Herkenrath, *l. l.* 7.8.9.

2. Lindsay, *The latin Language*, ch. viii, § 94. Havet, *Mémoires de la Société de linguistique de Paris*, vi.232.

3. Antoine, *Manuel d'orthographe latine*, p. 15.

4. Quod Lindsay, *l. l.* p. 543-544, de hac mutatione scribit : « In the third and fourth conjugations, the form ĕndo cannot be a phonetic development of -ŏndo throug weakening of the wowel ŏ in the unaccented syllable, for we have *anfereno* for *ambhi-bherendo- in Umbrian, where a weakening of this kind would not be found », hoc quidem uerum est ea quam dicit uia fieri non potuisse : sed alia uia factum arbitror, ea nempe quam dixi. — Quod addit : « Although the form *-endo-* became the approved form in classical Latin, while *-ŭndo* (from an earlier *-ŏndo*) was relegated to the legal and archaic style. e. g. *res repetundae,* yet the classical form is found on the earliest inscriptions » uereor ne illae inscriptiones (*S. C. de Bacchanalibus, Lex repetundarum*) non satis antiquae sint : certe multo meliores priscae scripturae sunt *labundus, oriundus, secundus.*

futuri proprio sensu accepti, non est quod cum Weisweiler gerundiuum *participium futuri* dicamus.

Quod magis ac magis apparebit, dum qua uia e gerundiuo infecti participio gerundium ortum sit, tum notio propositi ac necessitatis, et postremo futuri, accesserit, ostenderimus. Qui gerundiui posterior usus iam explicandus est.

PARS POSTERIOR

DE GERUNDIVI USU RECENTIORE

Gerundiuum, in priore huius libelli parte, fuisse initio participium infecti uerbi reflexiuum seu medium, ut fieri potuit, probauimus. Sed eius, ut in prooemio notatum est, usus alii plures sunt, qui nobis cum posteriores esse uideantur, unde profluxerint nunc dicendum est.

Quam totam quaestionem capitibus comprehendens quattuor, unde *gerundium* duxerit originem, unde gerundiuo notio *finis, necessitatis*, cet., accreuerit, qua ratione *passiua praeualuerit significatio*, quatenus et quo tempore *futurum* expressum sit, iam quaerere incipiam.

Nam *passiuus* ipse usus gerundiui quem a priscis temporibus in antiquis monumentis apparere monuimus (p. 4), quo modo ex illo priore usu reflexiuo seu medio natus sit, facile uidetur.

Participio enim uerbi sui fortunam sequente, cum uerbum reflexiuum passiuo sensu adhiberi coeptum est, etiam participii eadem condicio fuit. Ut in uoce *pascitur* [1], e reflexiua significatione (*il se nourrit*) orta passiua significatio est, ita ad significationem passiuam transiit et *pascendus*. Passiuus igitur usus, qui etsi non multo fortasse tempore, ratione certe posterior fuit, unde originem duxerit, difficultatem non habet. Quo modo autem

---

1. Cf. Bréal. *Essai de sémantique*, p. 96. « *Pascitur* a signifié « il se nourrit » avant de signifier « il est nourri ».

et gerundium factus sit, et paulatim formae in *-ndus* desinentis usum actiuum excluserit, et nouas significationes assumpserit, iam dicetur.

CAPUT PRIMUM

GERUNDIVUM PASSIVUM *SINE SUBIECTO* ADHIBITUM GERUNDIUM FIT

A. — De gerundii origine doctrinam a Weissenborn [1] anno huius saeculi quadragesimo quarto propositam plerique grammatici accipientes docebant primariam formam gerundium, deriuatam gerundiuum esse cum Weisweiler [2] omnino contraria docenda admonuit, nimirum gerundiuum formam principalem, gerundium autem nihil aliud esse nisi illius usum impersonalem. Et sententiam suam ita multis probauit doctissimus uir, ut qui recentissime de ea quaestione disputarint [3] ei assentirentur.

Mihi autem, ut uidetur multa de re egregie disputauisse Weisweiler, ita tamen uniuersa sua doctrina de forma in *-ndus* exeunte falsus, quaedam de gerundii significatione non satis uera professus est, nec ipsa eius origo satis diligenter qua uia processerit explicauit.

Haec enim habet eius doctrinae de gerundio summa : « Praepostere dici [4] a multis structuras gerundiuas (*cupiditas libri legendi*) a gerundio cum obiecto posito (*cupiditas librum legendi*) ortas esse, cum gerundium cum obiecto positum raro tantum, et certis condicionibus usurpetur, gerundium uero in Italicis dialectis non inueniatur. Iam

1. Weissenborn, *De Gerundio et gerundiuo Latinae linguae*. Isenaci, 1844.
2. Weisweiler, *l. l.* p. 75-112.
3. Lebreton, *l. l.* p. 28 [163] ; Persson, *l. l.* p. 119.
4. Weisweiler, *l. l.* p. 82, 89, 95, 130.

uero inter gerundium *amandi patriam,* et gerundiuum *amandae patriae*, eandem interesse rationem [1] quam inter modum Romani sermonis impersonalem *amatur, amatum est*, *amandum est*, et modum personalem *patria amatur, amata est, amanda est* : ita ut gerundium nihil aliud sit quam gerundiui modus impersonalis, obliquis qui dicuntur casibus usurpatus ; cum quo conferendum[2] esse neutrum perfecti passiui absolute seu sine subiecto positum : *optato* (Plaut. *Amph.* 658), *consulto* (*Poen.* 788), *augurato* (Liv. I. 18.5) *consulto,* mature *facto* opus est (Sall. *Cat.* I. 6), cet.

Haec ut minime spernenda, ita caute accipienda sunt : uidentur enim mihi ipsa uera, ad doctrinam auctoris relata falsa partim apparent.

Nam quod ad eos spectat, qui dicunt e gerundio cum obiecto posito gerundiuum ortum, ita ut ex *amandi patriam*, *amandae patriae* oriretur, iure contra dicit Weisweiler. Gerundio enim prius fuisse gerundiuum suadent cum uetera linguae Oscorum et Umbrorum monumenta, in quibus hoc interdum, illud nunquam inuenitur [3], tum etiam quod gerundium cum obiecto positum, etsi satis frequens est ea quae dicitur argentea aetate, in aurea tamen et maxime in priscis temporibus, nec saepe nec nisi certis condicionibus, apparet[4]. Itaque grammatici dicant, si placet, gerundiuum pro gerundio cum obiecto poni,[5] modo id concedant *scholastice* dici, quo adulescentuli facilius quid proponatur capiant, rei ueritatem tradere ne contendant. Hucusque placitis Weisweiler assentiri possum.

Sed dum comparat *amandi patriam*, et *amandae patriae* cum *amandum est patriam* et *patria amanda est*, id cautius accipi debet.

1. WEISWEILER, *l. l.* p. 73, 83, 84.
2. WEISWEILER, *l. l.* p. 84, 85.
3. Cf. *Supra*, p. 5.
4. Cf. quae de Plauti usu HERKENRATH, p. 50 sq.; 68 sq., cet., scripsit, de ceteris WEISWEILER, *l. l.* p. 109 sq.
5. RIEMANN et GOELZER, *Gramm. comp.* II, § 576; WEISSENFELS, *Synt. lat.* § 261 b. ; alii permulti.

Nam hoc ad uniuersam nostram de gerundiuo doctrinam [1] si referatur, uerum esse omnino potest, si ad illius doctrinam, quod attinet ad sententiae figuram ac syntaxin uerum, quod ad significationem uerborum, falsum est.

Nam, mea quidem sententia, *amandum est patriam*, *patria amanda est*, rei gerendae necessitatem exprimunt *(il faut aimer)*; at *amandi patriam* eique respondens *amandae patriae*, tantum uerbi actionem infectam *(aimer, étant aimé)* repraesentant. Hoc igitur interest inter has et illas formulas quod alteris quid fieri oporteat, alteris nihil simile, sed aut quid fiat aut ipsa uerbi significatio exprimitur. Itaque Weisweiler, cum e gerundiuo ortum gerundium contendat, in gerundio notionem rei gerendae ac futurae esse contendit [2], censetque Ciceronis (*Lael.* 5.19) « *naturam optimam bene uiuendi ducem* », bene uerti «Führerin dazu dass man gut lebe, *dux eius ut bene uiuatur=dux uitae bene instituendae*[3]». Sed non bonam esse eiusmodi interpretationem docent ipsi ueteres : nam uulgatissimum illud *scribendo adfuerunt*, Graece uertitur apud eos non (ut uult Weisweiler, interpretans « ut scriberetur adfuerunt [4] ») ἵνα γράφηται παρῆσαν, sed γραφομένῳ παρῆσαν [5]. Igitur actionem eam quae gerundio designatur, non futuram, sed praesentem interpretabantur. Iam uero uerbum uerbo reddendum ita curabant, ut uiolatis sermonis Graeci legibus articulum quo carebat lingua Latina omitterent : « Omnes fere graeci scriptores, ait Dosson [6], qui ea senatus

1. Nostram de hac re sententiam, si breuius ac liberius comprehendere licet, sunt inter se *amandi* et *amandum est* quasi consobrini, eodem *auo*, non, ut uult Weisweiler, eodem *patre* oriundi.

2. W. *l. l.* 131. « Auch in Gerundium wird die Handlung, ganz wie in Gerundiv, wie überhaupt durch das part. fut. pass., als zu vollziehende Thätigkeit ausgedrückt ».

3. Idem, *ibidem*.

4. Idem, *ibidem*.

5. Cf. Viereck, Sermo Graecus quo SPQR usque ad Tiberii Caesaris aetatem in scriptis publicis usi sunt, p. 79, cité par Persson, *l. l.* p. 123; n. 1. — Cf. Dosson, *l. l.* p. 13.

6. Dosson, *l. l.* p. 106, n. 3.

consulta laudauerunt, uerbum γραφομένῳ solum posuerunt, praeter Iosephum, qui cum ipse quoque (*Antiq. Iud.* XIV.X. 10) γραφομένῳ παρῆσαν scripserit, semel tamen (*Antiq. Iud.* XIV.III.5) formula γραφομένῳ τῷ δόγματι usus est. »

Nec soli interpretes Graeci, ipsi Latini scriptores gerundio quae sit uis ostendunt. Nam Cato ille Maior (Cat. fragm. Jord. p. 83) cum dixisset : « Homines *exercendo* uidemus conteri », statim sui interpres addit : « Si nihil *exerceas* (= *exercendo*) inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam *exercitio.* » Igitur locuples sermonis Romani uetustissimi testis cum gerundio *exercendo*, modo *si exerceas*, modo *exercitio* comparat, nec suspicari uidetur esse in ea figura quicquam quod actionem gerendam significet.

Iam uero permulta exempla ad omnes casus et maxime ad ablatiuum pertinentia docti uiri, ut Kerkenrath (*l. l.* 50 sq., 68 sq., 81 sq.), Persson (*l. l.* 120-124), proferunt in quibus nulla necessitatis notio gerundio inest, quae omnia referre longum uidetur, ac parum utile, cum ipse Weisweiler confiteatur (*l. l.* 104) obscuratam saltem in ablatiuo uim gerundii principalem esse.

Quam obscurationem usu gerundii in similitudinem participii praesentis actiui (*legens*) contendit factam : « Nachdem einmal dieser absolute Ablativ des part. fut. pass., *legendo* gleich *lectione facienda*, *bellando* gleich *bello gerendo*, sich in derselben Weise wie der Ablativ des unpersönlich gebrauchten Partizips auf *-tus*, z. B. *consulto*, u. s. w., zu einer adverbiellen Bestimmung ausgebildet hatte, musste derselbe dem Lateiner ein gern benutztes Mittel werden, Handlungen durch parallele Handlungen näher zu bestimmen. » Quae ratio maxime nobiscum facit : nam ut ea non satis explicatur, cur uim suam gerundium amiserit (illam dico quam ei fuisse fingit W.), ut in usum participio *praesentis* actiui similem transiret, ita hic eius usus in promptu erat, si gerundium nihil est ipsum nisi gerundiuum seu participium

infecti, ut nos putamus. Ideo enim, ut exemplo proposito [1] utar, actiuam hanc sententiam « *malum opprimere sustentantes ac prolatantes non possumus*, Cicero passiue reddere potuit ut fecit (*Cat.* IV. 3.6, *malum opprimi sustentando ac prolatando nullo modo potest*), quod quemadmodum *sustentantes* ac *prolatantes*, sic *sustentando* ac *prolatando* participia *infecti* pariter sunt, altera actiua cum subiecto uerbi coniuncta, altera autem passiua, et absoluta, nec subiecto ullo definita, ita ut in eis *genere* uerbi uix comparente, possint cum participio *praesentis* comparari aliquatenus, et cum eo in eadem sententia adhiberi. Quod quidem ab antiquissimis scriptoribus uix aut nunquam factum est. Sed haec hactenus.

Gerundium igitur neque ipsum actionem gerendam aut futuram exprimit, neque ex eo gerundiuo quod eiusmodi actionem exprimat, oritur, neque gerundiuo prius est. Restat ut diuersam ab eo originem habeat, aut ab eo gerundiuo, quod non actionem agendam aut futuram exprimat, oriatur.

Sed de origine a gerundiui diuersa uix agi potest. Nam eiusmodi quae maxime arridet sententia, a V. Henry proposita [2], ne ipsa quidem necessaria est, nisi fallor, nec satis firmo fundamento nititur. Quam sic Lebreton [3] refert ac laudat. « Cette hypothèse (sc. *sternomenos, *sternomedos, *sernondos, sternundus), admise pour l'adjectif en *-undus*, M. Henry propose d'identifier de même le gérondif en le rapprochant de l'infinitif en -μεναι ; un gérondif *-nendi* pourrait ainsi représenter *nemeni = νήμεναι. Ce nouveau rapprochement est très fécond en conséquences sémantiques et morphologiques ; ainsi s'explique le sens actif du gérondif à côté du sens passif de l'adjectif en *-ndus*, et

1. Weisweiler, *l. l.* p. 104.
2. V. Henry, *Esquisses morphologiques*, v. *les infinitifs latins*. Paris, 1889, p. 26.
3. Lebreton, *l. l.* ad p. 4.

d'autre part la différence vocalique du gérondif *agendi* et de l'adjectif verbal *agundus* rend compte par une contamination bien facile à admettre de cette même différence entre le type *oriundus* et le type *uoluendus*.» Sed nec ita nobis satis probatur proposita sententia : nam et alia uia factum est ut e gerundiuo passiuo ortum gerundium actiuam uideretur habere significationem (cf. infra p. 34 sq.), et ex usu priscorum scriptorum, ac maxime Plauti, apparet formas in *-undus* pariter gerundii atque gerundiui fuisse in plerisque uerbis, formas uero in *-endus* desinentes pariter in gerundiuo (*uoluendus*) et in gerundio (*uoluendi*) adhibitas in uerbis quae *uo* litteris terminantur, ut *linquo, soluo*, unde in reliqua et gerundiua et gerundia peruaserunt (Cf. sup. p. 22).

Reliquum est igitur ut gerundium e gerundiuo oriatur actionem non futuram ac necessariam, sed infectam exprimente.

Quod quomodo factum sit, cum factum sit in gerundiuo seu participio *infecti*, indicat similis usus participi *perfecti* passiui. Nam hoc participium, ut notum est, non solum cum subiecto adhibetur (*liber lectus est*) sed interdum etiam sine subiecto, ita ut neutri formam accipiat (*lectum est, itum est*, ut *legitur, itur*); sed non hoc tantum : nam ut *libro lecto*, ita dicitur absolute *lecto*, id est *ubi lectum est, cum lectum esset*. Ita Ter. *Hec.* 737 : « Ea aetate iam sum, ut non siet, *peccato* (= *si a me peccatum sit*) mihi ignosci aequum. » Hic usus, priscis temporibus, ablatiuo maxime casu, uidetur ualuisse : nam eo maxime casu *causa, instrumentum*, aliaeque eiusmodi notiones, quas frequenter exprimere necesse est, exprimuntur. Inde illa perfecti participia oriuntur quae ad uim fere aduerbialem transierunt : *auspicato* (Plaut. *Pers.* 607), *consulto* (*Poen.* 788), *optato* (*Amph.* 658), *intestato* (Cic. *De Or.* I.39.177), *satisdato* (*Ad Att.* XVI. 6.3), *sortito* (*In Verr.* II.4.51), cet. In reliquis casibus idem usus rarior quidem ac posterior inuenitur. (*Liu.* I.53.I ni *degeneratum* in aliis

huic quoque decori offecisset; 29.10.4 propter crebrius eo anno de caelo lapidatum ; Cic. *Acad.* 1.10 Inter *recte factum* et *peccatum*, officium et contra officium, media locabat quaedam.) Cuius usus similitudinem imitati, etiam *infecti* participium absolute adhibuerunt, eademque ratione eo in ablatiuo primum casu, ac semper ibi maxime, usi sunt.

Quod igitur est ad *auspicato auspicio* (Naev. ap. Non. 7.5.) absolutum *auspicato* (= *ubi auspicatum est*) idem est ad *fatis fandis* (Cic. *Diu.* 1.31) absolutum *fando* (Plaut. *Amph.* 588, *Epid.* 496, cet.), id est *dum dicitur*; quae ratio inter *lata lege* et absolutum *lato*, eadem intercedit inter *ferundo fructu*, et absolutum *ferundo*, in hoc Catonis loco (*Ag. Cult.* 6.2) : « *ferundo arbor peribit* », id est *dum fertur* (cf. *itur*) arbor peribit. Potuit sane dici « *ferens arbor peribit* », sed ablatiuo *ferundo* melius *causa* indicata est, cur peritura esset. Denique quod est ad Terenti (*And.* 685) » : *Inuentum* curabo atque *adductum* tuum Pamphilum », illud Plauti (*Amph.* 505) : « Citius quod non *facto* est usus fit quam quod *facto* est opus », idem est ad Tulli (*Att.* 8.5) : « *Fasciculum* uelim cures ad eum *perferendum*, » illud eiusdem (*Att.* 14.3) : « Quintus de *emendo* nihil curat hoc tempore ». Scilicet gerundium (*fando, ferendo, emendo*) nihil est nisi gerundiuum sine subiecto, seu impersonaliter, ut dicunt [1], usurpatum.

Sed hoc modo gerundiuum, non tantum ablatiuo casu, etsi primum ut opinor eo casu, certe saepissime ut monumenta testantur antiquissima, sed aliis etiam casibus adhibetur : *initium dicendi, scribendo adesse, inter pugnandum.* Caret tamen gerundium nominatiuo, atque etiam

1. Qui dicendi modus parum mihi placet : nam de persona *uerbi* agi potest, gerundiuum autem cum *nomen* sit adiectiuum personas habere qui possit ? Ipsa uero uerba quae impersonalia dicunt, magis tertiae personae sunt. Sed ad quaestionem institutam parui refert.

interdum accusatiuo; neque enim dicimus : *pugnandum graue est*, *le combattre* est dur ». Dicitur quidem *pugnandum est, pugnandum esse censeo*, sed in eiusmodi structuris *pugnandum*, non, ut *pugnando*, merum *infecti* participium est, sed *quod fieri oportet* significat. Itaque gerundium cum constructo gerundiuo *nuntiandum est* uix comparari potest : non sunt eiusdem generis aut saltem, si ex eodem, ut ita dicam *auo*, non ex eodem *patre* oriuntur. Utrumque sane ad impersonalem quem dicunt modum pertinet, significatione prorsus differunt. Itaque haec probare non queo, quae de ea re Lebreton (*l. l.* p. 20 [164] scripsit) : « L'idée d'intention ou d'obligation pénétra dans certaines constructions du gérondif (*nuntiandum est, ad nuntiandum*, etc.)., de même qu'elle s'était introduite dans les constructions parallèles de l'adjectif en *-ndus* et pour les mêmes motifs. » Nam *nuntiandum est* ad gerundium minime pertinet; est, ut ita dicam, extra gerundium. Iam uero notio necessitatis, officii, propositi, *in structuram nullam* inducta est, sed cum *ipsi gerundiuo*, eo modo qui infra dicetur (p. 42 sq.), accreuisset, hoc cum uerbo *esse*, uel enuntiato subiecto, adhibitum *(nuntianda res est)*, uel sine subiecto (*nuntiandum est*), eam *non accepit*, sed *retinuit*.

Itaque cum perfecti participio (*lectus*) ea notio non accreuerit, in eo, cum uerbo *esse* posito, nunquam adest, siue cum subiecto (*lecta Odyssea est*), siue sine subiecto (*lectum est*) ponitur. Sed ne in nominatiuo casu gerundium meram uerbi significationem exprimeret, ita ut posset hunc locum uacantem occupare sensus necessitatis, hoc uidetur maxime effecisse, quod erat forma finita quae id exprimeret : finge enim *nuntiandum est* nulla inhaerente necessitatis notione nominatiuo casu usurpatum : quid iam interest inter eiusmodi *nuntiandum est* et *nuntiatur ?* Nihil magis quam inter *currit* et *currens est* quod nec ipsum dicitur. Itaque eam significationem cum haberet uerbum finitum (*nuntiatur*), uacantem nominatiuum sensus necessitatis occupauit.

Gerundiuum igitur nominatiuum non habet, ut grammatici monent[1], nec aliud est nisi gerundiui usus absolutus.

B. — Haec cum sit gerundii origo, facilius soluitur saepe agitata quaestio de genere eius, utrum actiuum sit an passiuum.

Optimi enim grammatici[2] gerundii usum non principalem illum solum, sed uniuersum considerantes, esse eius *genus* negant ; et cur neque actiuum sit neque passiuum, rationem affert Weisweiler[3], quod, cum ad modum impersonalem referatur, non magis quam coniugatio quae dicitur periphrastica (*agendum est*), genus habere possit.

Sed haec caute accipienda sunt : nam plurimis grammaticis magis passiua quam actiua uidentur et coniugatio periphrastica, et modus impersonalis. Nec immerito : nam inter *legendum est*, et *legendus liber est*, eadem intercedit ratio quae inter *lectum est* et *lectus liber est*. Itaque si *lectum est* passiue accipitur, eodem modo *legendum est* accipiatur oportet. Et Tullius cum dicit : « Hoc loco *praeterito* et cur praetereatur *demonstrato* », facere non possum quin existimem pariter passiue adhiberi *demonstrato* atque *praeterito*. Eadem ratione, in loco Catonis *De Agr.* 141.3 : « Agri fundi *lustrandi* lustrisque *faciendi* ergo » non minus passiuum gerundium *faciendi* quam gerundiuum *lustrandi* uidetur.

Iam uero ut passiuum habitum esse gerundium suadent ueteres cum interpretes Graeci, uulgatissimum illud *scribendo adfuerunt* semper γραφομένῳ παρῆσαν uertentes, tum Latini scriptores id adhibentes in eiusmodi structuris, ut *adesse ad imperandum*, in quibus actiue accipi ex contextu nullo modo potest : « Iugurtha, ubi armis uirisque et pecunia spoliatus est, cum ipse ad *imperandum* Tisidium uocaretur, coepit... ex mala conscientia digna timere (Sall.,

1. Weisweiler, *l. l.* p. 77.
2. Cf. Riemann et Goelzer, *Gramm. comp.* ii, § 575 rem : Le gérondif n'a pas de voix, etc. — Weisweiler, *l. l.* p. 95.
3. Weisweiler, *l. l.* p. 93.

Iug. 62.8). In hac structura *ad imperandum,* non profecto *ut imperaret*, neque stricte quidem *ut ei imperaretur*, sed *ut imperaretur*, ut *iuberetur* (*pour qu'il fût donné des ordres*), id est absolute et impersonaliter, itaque passiue, intellegi debet. Igitur, in multis locis ubi ex toto contextu uerborum gerundium accipi posse *actiue* uidetur, *passiue*, si diligenter attendas, accipiendum est. Cum dicit Caesar *B. C.* III 80) « Oppidum *ad diripiendum* militibus concessit », uidetur *ad diripiendum* actiue dici, *sc.* ut milites *diriperent*. Sed alia, ac multo melior subit animum interpretatio, si Caesaris uerba cum Tulli conferas (*Pro dom*. 60): « Cum alteri Syriam *ad diripiendum* tradidisset ». Scilicet *ad diripiendum* neque ad *Syriam, neque* ad *alteri*, neque ad *oppidum,* neque ad *militibus* referri debet, sed absolute, et impersonaliter (*ut diriperetur, ut direptio fieret*), adhibetur. Et in hoc *Tusculanarum* loco (1.23.53) : « Etiam ceteris quae mouentur, hic fons, principium est *mouendi* », illud *mouendi,* etsi graecum κινήσεως[1] reddit, non idem tamen esse atque *motus* (du mouvement), sed strictius interpretari debere τοῦ *moueri* (du se mouvoir) ostendit praecedens *mouentur*, ut recte admonet Weisweiler[2].

In hoc tamen ultimo loco, et in aliis multis ad naturam nominis (*motus*), aut ad *genus* actiuum accedere uidetur gerundium. Neque hoc mirum est; nam *in modo personali* genus uerbi cum forma, tum subiecto apposito indicatur : *Vergilius legitur, Odyssea lecta est* ; *at in modo absoluto* seu *impersonali*, sola forma : *legitur, lectum est*. Itaque in hoc magis ad ipsam uerbi significationem animum attendimus, et subiectum, cum nullo nomine exprimatur, ex usu ac consuetudine sermonis, fingimus aliquod, quod uerbo expressam actionem faciat: *on* lit, *on* a lu. Ita in hac structura : « *Ferundo fructu arbor peribit* »,

1. Cf. PLATON. *Phèdre,* 245 c. ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται τοῦτο πηγή καὶ ἀρχὴ κινήσεως. Cité par RIEMANN et GOELZER, *Gramm. comp.* § 575 rem.

2. WEISWEILER, *l. l.* p. 93.

admonet subiectum (*fructu*) passiuam gerundiuio significationem; at in illa Catonis sententia esse: « *Ferundo arbor peribit* », cum *ferundo* subiectum non habeat, subiectum ei fingimus ex sermonis consuetudine actiuum, et quod dicitur impersonaliter atque passiue (*ferundo* = *dum fertur, parce qu'il y a production, par le fait de la production*), id actiue accipientes, subiectumque aliquod ex ipsa sententia repetentes, quasi esset dictum *arbor, dum fert, peribit* (*le bois, en portant, périra*) gerundium passiuum ut actiuum interpretamur.

Ita explicatur quod Tullius cum « *adesse ad imperandum* » ueterum sensu dixisset, statim dictum corrigit ; « Nunc ades *ad* imperandum uel *ad parendum* potius : sic enim antiqui loquebantur (*Fam.* IX.25) ». Quod enim antiqui *ad imperandum* dicebant impersonaliter, Tullius dici mauult *ad parendum,* et ad subiectum uerbi *ades* referri, quasi id etiam actionem a participio expressam faceret. Eadem inductus, ut ita dicam, cogitandi necessitate, Seruius Vergili unum idemque « *cantando* » dupliciter accipit, et « *Cantando* tu illum » *sc.* uicisti (*Buc.* 3.25), actiue dici uult, cum « *Cantando* rumpitur anguis » (*Buc.* 8.71), passiue dictum contendat.

C. — Illud denique ostendit gerundio passiuam inesse significationem, sed attenuatam illam atque obscuratam, quod obiectum accusatiuo casu positum, ut aliquando, ita rarissime habet.

Hoc fieri potuisse ut forma primum passiua postea actiue ac transitiue adhiberetur, nostris certe mirari non licet. Nam simile aliquid in nostro sermone factum testantur notissimi uersus :

Mignonne, allons voir si la rose,
Qui ce matin avait *desclose*
Sa robe de pourpre au soleil,
A point *perdu*, ceste vesprée,
Les plis de sa robe pourprée
Et son teint au vostre pareil.

(Ronsard, *Odes*, I, 17).

In his uersibus poeta, ut uersus cum primo secundus similiter desineret, antiquum Gallici sermonis usum primum secutus est (*qui avait desclose sa robe*); deinde, ad usum recentiorem rediit (*a point perdu les plis*). At in illa prisca structura participium perfecti (*desclose*) passiuae est significationis, et cum eo nomen (*sa robe*) coniungitur tanquam subiectum; idem, in recentiore dicendi modo, actiuum uidetur (*a point perdu*), et cum eo nomen (*les plis*) tanquam obiectum componitur.

Eadem est ratio inter hoc quod Cato (*Ag. C.* 141.3), ex sermonis Latini ingenio ac consuetudine, adhibuit gerundiuum : «*Agri lustrandi ergo*», et gerundium quo Plautus in hoc loco utitur : « Nec, mihi *ius meum obtinendi* optio est. » Nam in illa Catonis sententia, participium passiuum est, et cum eo nomen (*agri*) tanquam subiectum coniungitur; idem in Plauti uersu actiuum uidetur, et cum eo nomen (*ius meum*) tanquam obiectum componitur.

Sed instituta comparatione [1] ut ostenditur posse participium ex passiuo actiuum ac transitiuum fieri, ita gerundium Latinum qua causa quaque uia factum sit ut obiectum habere posset accusatiuo casu positum, non explicatur.

Hoc autem uiri doctissimi, cum alii, tum optime omnium Weisweiler tractauit: ego ne rem actam agere uelle uidear, et proposita exempla rationesque iterum scribere, Plautinum huius gerundii usum, quem ille non attigit, expediam.

Plautus enim gerundio obiecti accusatiuum terdecies adiunxit. Quo id modo fecerit exempla haec [2] ostendunt.

---

1. Hanc comparationem, si quis existimet nobiscum parum facere, et eo maxime claudicare, ut aiunt, quod cum participio uerbum (*avoir*) coniungatur, eum admonebo contagione factum ut participium ita cum uerbo coniunctum ipsum actiuum uideretur, quod ostendunt eiusmodi formulae: « *Reçu de bonnes nouvelles, fourni la marchandise, payé la même somme.* » Cf. Bréal, *Essai de sémantique*, p. 224.

2. Cf. Herkenrath, *l. l.* passim.

1. *Capt.* 743.	Breue spatium est *perferundi quae* minitas mihi.
2. *Trin.* 1131.	Quod datum utendumst, *repetundi id* copiast, quando uelis.
3. *Stich.* 681.	Stichus opsonatust. Ceterum *curando id* me adlegaui.
4. *Men.* 686.	Quae conmisi, ut me defrudes, ad eam rem adfectas uiam.
	ME. Neque edepol *te defrudandi* causa posco.
5. *Pseudol.* 5.6.	Duorum labori ego hominum parsissem lubens:
	Mei *te rogandi*, et tis respondendi mihi.
6. *Epid.* 604.	Abi modo intro, atque hanc obserua Circam, solis filiam.
	Ego relictis rebus *Epidicum* operam *quaerendo* dabo.
7. *Mil. glor.* 255.	Intro abi ergo, et si istist mulier, eam iube cito domum transire...
	Et quidem ego ibo domum
	Atque *hominem inuestigando* operam huic dissimulabiliter dabo
	Qui fuerit conseruos, qui hodie sit sectatus simiam.
8. *Trin.* 1048.	Male *fidem seruando* illos quoque abrogant fidem
	Qui nihil meriti.
9. *Cas.* 189.	CLE. Vir me habet pessumis despicatam modis,
	Nec mihi *ius meum obtinendi* optio est.
	MYRR. Mira sunt uera si praedicas; nam uiri
	Ius suum obtinere ad mulieres haud queunt.
10. *Curc.* 706.	Dicundi, non *rem perdundi* gratia haec (*sc.* lingua) natast mihi.
11. *Poen.* 223.	Eae (*sc.* ancillae) *nos lauando, eluendo* operam dederunt.
12. *Stich.* 117.	Potestas *adipiscundist gloriam*, laudem, decus.
13. *Men.* 882.	Lumbi sedendo, oculi spectando dolent, *manendo medicum* dum se ex opere recipiat.

Haec exempla, si ad contextum uerborum attendas, Plautus quam raro quibusque rationibus adductus gerundio transitiue utatur, ostendunt. Nam in primis (1. 2. 3. 4. 5) gerundium cum pronomine coiungitur, aut *neutro* quod

dicunt, aut *personali*. At pronomina *neutra* uel cum uerbis *neutris* accusatiuo casu saepe ponuntur : nec mirari quisquam potest Plautum dicere *perferundi quae minitas, id repetundi, curando id*, cum dicatur *id laboro, hoc studeo, quae conmisi ut me defrudes* (*Men.* 686). Pronomina uero personalia, genetiuo casu, temporibus Plauti fuisse bina inter se certantia (*mis, tis, mei, tui*) testatur uersus *Pseudoli* supra propositus (*Pseud.* 6) :

Labori duorum hominum...
Mei te rogandi, *tis* respondendi mihi,

si modo corruptus non est, nam codices[1] quidam habent *Mis te rogandi, tui respondendi.* Sed cum iam tunc, quod ex uniuerso Plautino usu probatur, uetus forma, *mis, tis*, obsolescere coepisset, noua uero succederet *mei, tui*, qua magis res ad personam aliquam pertinentes (*mei* enim nihil est nisi neutrum adiectiui *meus* genetiuo casu positum) quam ipsam personam designantes scriptores, quando erat persona ipsa, non res eius designanda, *mei, tui* uitabant, et aut *mis, tis,* aut aliud dicendi genus adhibebant. Quod in exemplis 4 et 5 contigit. Nam in utroque uerbum (*defraudare, rogare*) melius de persona quam de re dicitur (Cf. *Men.* 686 *ut me defrudes*) ; iam uero, in uno, *te defrudendi* ad *ut me defrudes* respondet ; in altero autem, gerundio (*te rogandi*) ipsa uerbi actio, et ex ea labor, melius exprimitur, quam gerundiuo (*tui rogandi*), et *mei tui rogandi* obscurissimum fuisset.

In uersibus sequentibus quinque, concinnitatis gratia aut ponderis, aut ioci, uidetur hoc Plautus quaesiuisse, gerundio cum accusatiuo obiecti posito, ut eodem casu aut genere positum nomen nomini, gerundium gerundio, responderet. Nam accusatiuo opponitur accusatiuus (*Circam Epidicum, eam hominem, fidem fidem, ius suum ius meum),* et genetiuo neutri generis eiusdem generis genetiuus (*dicundi perdundi*).

1. Cf. quae editio Ritschleiana editio praebet.

Remanent tres uersus (n^{ri}. 11, 12, 13), ubi gerundium cum non propter easdem causas obiectum coniunctum habeat, melius fortasse quae sit eius uis et quam multiplex, apparet. Nam gerundiuum cum occurrit cum nomine coniunctum, inter duas res, uerbum scilicet et nomen, animus quasi distrahitur : at gerundium in se omnem mentis aciem ita conuertit, ut uerbi significatio quasi primo loco emineat. Itaque dum dicitur de ancillis « *eae nos lauando, eluendo operam dederunt* », (non *nobis lauandis*), *nos* nihil ponderis habet, et melius ancillae quid agant commendatur; nec immerito quidem, cum in eo loco, tota sit quae loquitur ancilla, ut ancillis quam multiplex laboris genus imponatur, enarret. Iam uero et in hoc uersu et in sequenti (*potestas adipiscendist gloriam*) quae sit gerundio cum infinitiuo affinitas, et quare, ut hic, transitiue adhiberi possit, cernitur. Nam parum interest inter *lauando operam dare,* quod hic habemus, et *lauare operam facere*, uel *sumere* quod aliquando Plautus adhibet (*Pseud.* 1141 *operam fac quaerere*; *Men.* 244 *operam nunquam sumam quaerere*); parum differt *potestas adipiscendist,* ac *potestas est adipisci,* quod dici aliquando potuit [1] (Verg. *Æn.* 4.565 *dum praecipitare potestas*). Igitur gerundium, cum ex iis nominibus penderet e quibus infinitiuus interdum pendet, quid mirum, si tanquam infinitiui declinatio quaedam habitum est, et obiectum ut ille [2], accusatiuo casu positum, aliquando habuit ? — Quod ut fieret etiam aduiuit alius gerundii usus, qui in ultimo uersu deprehenditur : « *Manendo medicum,* dum se ex opere recipiat. » Hic enim *manendo* eandem fere uim habet quam *manens*, et tanta est, inter gerundium ac participium praesentis actiui, sensus affinitas, ut ea nisus Tacitus, uariandae orationis causa, saepe utrumque in eodem uerborum complexu coiunxerit. (*Ann.* II.81 modo

1. Draeger, *Hist. synt.* II, p. 361.
2. Hanc rationem Weisweiler explicat, *l. l.* p. 102.

semet *adflictando* modo singulos nomine *ciens*; adde, *ibid.*, 13.47; *Ann.* 15.38; *Hist.* 1.23; 2.35, cet.). Itaque gerundii, cum eadem fere uis esset atque participii praesentis, idem aliquando fuit usus, in uerbis transitiuis transitiuus.

Multae igitur ut ex unius Plauti usu, apparet, aut significandi, aut uerba inter se opponendi, aut metro obsequendi necessitates, scriptores mouebant, ut gerundium cum obiecti accusatiuo interdum componerent. Sed hoc fieri minime potuit nisi gerundiui passiui propter usum absolutum (quod gerundium est) uis passiua obscuraretur. Itaque in uerbis transitiuis, ut sunt *manere*, *agitare*, et gerundium (*manendo*) et formula exprimendae necessitatis (*agitandum est*), quanquam plurimum significatione differunt, tamen, quod in utroque pariter usus absolutus seu impersonalis passiuam uim obscurauit, pariter transitiue adhibentur : *manendo medicum* (*P. Men.* 883), *agitandum est uigilias* (*Id. Trin.* 869).

Sed hunc usum gerundii cum obiecto positi, etsi ea quae argentea dicitur aetate satis frequens occurrit, tamen multo rariorem quam gerundii solius, aut gerundiui usum, omnis Litterarum Romanarum memoria testatur [1]. Quod ad Caesarem [2] attinet, qui fuit ut ipse de Terentio Afro dicit « puri sermonis amator [3] », gerundiuum ducenties octogies habet, gerundium sine obiecto centies nonagies ter, at gerundium cum obiecto septies aut octies. Plautus uero, uulgaris usus, ac prisci sermonis testis egregius, gerundiuum quadragies sexies, gerundium centies quater, gerundium cum obiecto tantum terdecies.

Nunc gerundiuo, postquam gerundium ex se genuerat, quo modo necessitatis notio accreuerit, inuestigandum est.

1. Cf. WEISWEILER, *l. l.* p. 109.
2. GOERLITZ, Prog. Rogasen 1887, apud WEISWEILER, *l. l.* p. 109.
3. Suetonii *T. reliquiae*, ed. A. REIFFERSCHEID, p. 34.

CAPUT SECUNDUM

GERUNDIVO NOTIO NECESSITATIS, OFFICII, CET., EX STRUCTURIS QUIBUSDAM PASSIVIS *QUID ESSET PROPOSITUM* SEU *DESTINATUM* EXPRIMENTIBUS ACCREVIT.

A. Hoc ipsum ante quam quomodo factum sit ostendo, paucis respondendum uidetur eis[1] qui, duce Weisweiler, hanc notionem principalem esse contendunt.

Weisweiler ratio[2] sic breuiter colligi potest. « In sermone Latino cum fuissent initio participia duo, alterum actiuum actionem infectam (*legens*), alterum passiuum, actionem perfectam (*lectus*) exprimens, his accesserunt noua participia duo, alterum actiuum (*lecturus*), passiuum alterum (*legendus*), actionem utrumque exprimens non infectam, sed futuram, nam *legendus* cum *legentur* conferendum est. Sed ut in participio actiuo notioni futuri accessit sensus propositi ac uoluntatis, ita in passiuo sensus necessitatis ac rei agendae. »

Haec facile diluas, si notes fuisse in Latino sermone participium futuri passiui (*lectum iri*), ideoque, dum illud manet, non necesse fuisse *legendus* futurum exprimeret ; ipsum uero *legendus* ad stirpem futuri *legent* frustra referri (cf. supra 30-31); denique esse in uetustissimis Latinae linguae monumentis ante Plauti aetatem formas quasdam, ut *secundus*, *occidendus*, a quibus absit notio rei agendae ac necessitatis, et futuri ; Plautinis uero temporibus, multa exempla eiusmodi proferri posse siue in Plauti ipsius operibus[3], siue in Catonis (v. supra, p. 6) ; denique in ablatiuo gerundii, quod ex gerundiuo Weis-

1. Quorum in numero sunt, teste PERSSON (*l. l.* p. 95), SCHMALZ, BRUGMANN, STOLZ, DELBRÜCK.
2. WEISWEILER, *l. l.* p. 18, 21.
3. Multa exempla proferunt DOSSON, *l. l.* 19, sq., PERSSON, *l. l.* p. 97, ac maxime HERKENRATH, *l. l.* p. 98.

weiler ortum putet, uim necessitatis non comparere, nec tamen satis explicari cur in hoc casu obscurata sit. Sed placita Weisweiler cum optime Persson[1] reffellerit, notionemque necessitatis non esse principalem ostenderit, nos haec notio formae in *-ndus* desinenti quo pacto accreuerit, ostendamus.

B. — Exempla quibus probetur hanc nouam significandi uim accrescere uerbo potuisse, quod negant quidam, multa e uariis linguis proferri possunt[2]. Satis erit unum et alterum memorasse quae ad rem maxime pertinent. Nam adiectiuis uerbalibus in *-ilis*, *-tilis*, *-bilis* exeuntibus, cum ex comparatione cum formis cognatis instituta[3], tum e priscorum scriptorum usu (*corona plectilis*, Plaut. *Bacch.* 70, cum his mihi nec locus, nec sermo conuenit, neque is unquam *nobilis* fui, *Pseudol.* 1112), apparet notiones procliuitatis ac facultatis natiuas non esse, sed aduenticias. Item in participium perfecti in *-to-* desinens uis *potestatis* ac *dignitatis* inducta est, quae primum aberat: *inuictus*, *indomitus*, *memoratus*, *contemptus*, cf. βατός, ἄβατος, λυτός, ἄλυτος. His ex exemplis constat et participio infecti notionem necessitatis accrescere potuisse.

Qua autem uia quaque ratione eam assumpserit gerundiuum, docti uiri[4] melius indicauerunt quam explanauerunt, is autem, opinor, facile perspiciet, qui haec duo meminerit, et quam late infecti maxime passiui significatio pateat, et qua uia saepe formae alicui noua notio ita accrescat, ut eius propria esse uideatur. Nam infectum in Latina lingua uerbum non tantum id exprimit *quod fit dum aliud fit*, seu praesens quod dicunt tempus, sed ipsius uerbi *meram ac nudam significationem*. Iam uero formae alicui nouus saepe sensus additur, uideturque proprius, qui in uno et altero eiusdem formae uocabulo frequentissime

1. Persson, *l. l.* p. 97, sq.
2. Persson, *l. l.* 105, 109.
3. Brugmann, *Grundriss*, II, 190, 200, sq.
4. Cf. Bréal, *Essai de sémantique*, ch. III; Persson, *l. l.* 106, 108.

usurpato reperitur[1], aut quod maius est, uniuersa oratione, cuius ea forma pars est, declaratur. Ita in hac sententia *libros si haberem*, est *si* coniunctio condicionem enuntians, *haberem* autem *praesens irreale* quod dicunt. At uero initio neque *si* ad coniunctiones, neque *haberem* ad praesens pertinet. Nam *si* idem est initio atque *sic* (*si-ce*), *haberem* uero ad *praeteritum* refertur. At in sententiis quibusdam cum saepe adhiberentur, in quibus condicio enuntiaretur irrita optandi aut iubendi uerbis (*si*, uel *sic*, haec, dii *faceretis !*), ita factum est paulatim ut *si* aduerbio notio condicionis accresseret, optatiuo *praeterito* notio praesentis *irrealis* substitueretur[2].

Eodem modo gerundiuum, dum in quibusdam structuris adhibetur, in quibus *toto uerborum contextu* propositum uel destinatum enuntiabatur, *ipsum* uero nihil habebat in se nisi infecti significationem, paulatim uisum est propositum uel destinatum *ipsum* exprimere, et ad exprimendum adhibitum est : quae structurae saepissime in formulis precum et legum ab ultima antiquitate frequentantur. Huiusmodi sunt : *agri, fundi lustrandi, lustrisque faciendi ergo, quattuor uiri uiarum curandarum, oratores pacis petendae, tres uiri agris dandis, adsignandis, decemuiri legibus scribundis creati, curator muris reficiendis*, cet.

His in formulis sensus *destinati, propositi, finis, officii*, toto orationis contextu declaratur, singulis uero gerundiuis (u.g. *lustrandi*) nihil nisi ipsius uerbi (u.g. *lustrari*) sensus, et is quidem passiuus, inest : ita ut incorporalibus nominibus[3] (u.g. *agri lustrationis ergo*) pariter enuntiari posset

1. Ita Bréal sensum « inchoatiuum » in uerba in *-sco* desinentia, ex quibusdam formis ut *adolesco, floresco, senesco* illatum censet. — *Essai de sémantique*, ch. III, *l'Irradiation*.

2. Vide, sis, quae de hac re disputaui, in meis « *Notes de grammaire latine*, p. 119. Cf. Bréal, o. c. p. 225.

3. Cf. *Liu.* XXI.I. « Angebant ingentis spiritus uirum Sicilia Sardiniaque amissae » quod Gallice uerti potest « la perte de la Sicile » ; sed ea uersione perfecti notio, quae est in *amissae* non redditur. Ita *agri lustrandi ergo* reddi potest « *en vue de la purification d'un champ* » sed

nisi concretum passiuumque dicendi genus Latinus sermo mallet. — Sed gerundiua illa, cum in formulis occurrerent *propositum, finem, officium* exprimentibus, factum est quasi *contagione* quadam, cuius alia exempla multa sunt [1], ut ipsa sensum *propositi, officii*, cet., in se habere uiderentur, et in totum genus propagarent.

C. — Ex eo tempore, gerundiui uis cum duplex esset, altera qua *quid ageretur*, altera qua *quid esset agendum* exprimi poterat, alterutra Romani pro sensus declarandi opportunitate usi sunt.

Participii necessitatis usus fuit triplex. Unus, qui praedicatiuus dicitur, quo ad uerba complenda adhibetur (ut *dare, locare*, cet.), quae praeter accusatiuum obiecti alterum desiderant, quo quis de obiecto quid fieri uelit indicat (u.g. Plaut. *Asin.* 444 *scyphos quos utendos dedi*). Alter usus attributiuus, seu adiectiuus dicitur, quo *gerundiuum* eodem modo quo adiectiuus qualitatem enuntians ponitur ut Plaut. *Rud.* 345 : *Pol haud miranda facta dicis* ; et hic usus apud priscos scriptores rarissime occurrit. Est denique tertius usus, quo ad necessitatem exprimendam gerundiuum cum uerbo *esse* coniungitur, ut cum dico : *liber legendus est*, *nostis Odysseam legendam esse.* Qui usus *periphrasticus*, ut dicunt, usitatissimus est.

De hoc usu quaedam notanda sunt.

Nam etiam ad uerba pertinet quae neutra dicuntur, modo sine subiecto sint : ut *curritur*, *caretur*, ita etiam *currendum* est, *carendum* est dici potest.

Iam uero, quoties gerundiuum cum uerbo *esse* coniungitur, notio necessitatis adest : quae si non adesset *amandus* est, et *amatur*, *amandum esse* et *amari* in idem reciderent. — Hanc tamen notionem non, ut uoluit

---

ea uersione infecti notio quae est *in lustrandi* non redditur. Hoc solum concedi potest Weisweiler dicenti (*l. l.* p. 130, 131) : « *Ad diripiendum* ist keineswegs gleich *ad direptionem*, wie meist gelehrt wird. »

1. Cf. quae supra (p. 44) dixi de formula *si haberem*, et quae de ea contagione. Bréal, *Essai de sémantique*, p. 221.

Dosson [1], uerbum *substantiuum*, in quo nulla est, sed ipsum gerundium in structuram adfert.

Denique usus hic cum sit frequentissimus, acceptum, ut ita dicam, reddidit, et ex passiua ortus gerundiui significatione, passiuam eius significationem multiplicauit.

CAPUT TERTIUM

GERUNDIVI USUM PRIMITUS REFLEXIVUM IDEOQUE ACTIVUM, CUM USUS PASSIVUS INVALESCENS, TUM PARTICIPIUM IN -*ENS* PAULATIM OBLITTERAVIT.

Gerundiui usus in formis paucissimus actiuus deprehenditur, in ceteris uel in eis a quibus necessitatis notio abest, semper passiuus apparet. Inde, cum initio reflexiuum seu medium fuisse arbitremur, explicandum est qui factum sit ut sensus passiuus ita praeualeret, et quatenus quoue modo in eis formis quae solitariae [2] dicuntur, actiua significatio permanserit.

A. — Suffixo -*ndus* ut quasi propria uideretur passiua significatio, factum est e gerundiui usu passiuo frequentissimo. Ut autem gerundiuum passiuo sensu adhiberetur frequentissime causae fuerunt duae.

a) Harum prima haec fuit, quam nemo adhuc, nisi fallor, declarauit, quod gerundiuo *necessitatis* saepissime Romani utuntur. Hoc autem multis modis fit : est enim eius, ut

---

1. Is Plauti locos profert multos in quibus nomen cum *esse* coniunctum idem putat esse atque gerundiuum. Sed mihi quod affert inter alia similia « *quid me uobis tactio est* (*Men*. 1016) » nihil aliud significat quam « *quid me tangitis ?* », et, si « *cautio est* » idem fere est ac « *cauendum est* », hoc non facit uerbum *est*, sed ipsius uerbi *cauere* significatio. Cf. Cic. *Off*. 1.14 : « Beneficentia... multas habet *cautiones*. »

2. Persson, *l. l.* p. 95.

supra monuimus, usus alius attributiuus (*hand miranda facta*), alius praedicatiuus (*scyphos quos utendos dedi*), alius denique quem *periphrasticum* dicunt (*liber legendus est*) : at, in quouis usu, gerundiuum hoc passiuo sensu adhiberi nemo non intellegit. Igitur ei paulatim accreuit in animis notio passiua, ita ut eius propria esse, nec ab eo separari posse uideretur.

b) Est etiam altera causa, unde factum est ut gerundiuo uis passiua inhaeresceret. Haec autem usu quodam Latini sermonis proprio continetur : quem usum Dosson [1] cum ad aliud probandum designauisset, Lebreton [2] ad id explicandum de quo disputamus, aptissime adhibuit. Nam Dosson, cum admonuisset « facultate animo infinita concipiendi ita carere quosdam populos ut nihil intellegere uel exprimere possent, nisi quod esset personis certis et rebus definitum », haec addidit [3] : « Hac facultate nunquam omnino caruerunt Aryani populi; eam tamen non nisi angustis circumscriptam terminis habuerunt. Quae enim uerba dicuntur abstracta, raro a plebe Romana, ut ex Plautinis fabulis colligere licet, usitata, Ciceronis demum temporibus in linguam latinam quasi pro alieno iure irruperunt. Inopiae illi qua Latinus sermo laborabat, pluribus modis succurrere Romani conati sunt... Illud uero minus uulgatum, participium gerundiuum quoque cum substantiuo copulatum, praesertim si a praepositione pendeat, pro nomine abstracto poni posse ita ut nihil intersit inter « ad defendendam urbem » et « ad defensionem urbis [4] ».

Tum exempla profert uir eruditissimus in quibus aut eadem sententia nunc gerundiuo, nunc incorporali nomine exprimitur, aut ubi in eodem uerborum complexu cum nominibus abstractis gerundiuum cum nomine copulatum ponitur. Quorum unum et alterum referre satis erit :

---

1. DOSSON, *l. l.* 57.
2. LEBRETON, *l. l.* 14 [158].
3. DOSSON, *l. l.* 57.
4. Hoc quatenus uerum sit, supra monuimus, p. 21.

Nullum enim officium *referenda gratia* magis necessarium est (Cic. *Off.* 1.15.47) ; et : Perit gratia et *relatio gratiae* si timemus laborem (Sen. *Ep.* 74.13) ; Valetudo sustinetur *notitia sui corporis* et *praetermittendis uoluptatibus* (Cic. *Off.* 2.24.86).

Hunc gerundiui usum Lebreton existimat passiuam propagasse significationem. Nec iniuria : nam etiam in hoc usu passiue adhiberi gerundiuum nemo non sentit.

Igitur in gerundiui suffixum cum duplici usu uis passiua inferretur magis ac magis, timendum erat ne sensus actiuus inde exturbaretur, eoque maius periculum quod duabus quasi uiis accedente hoste, erat utraque inuadentium copia maxima. Nam usum utrumque frequentissimum fuisse et ratio suadet, et prisca monumenta testantur. Quid enim frequentius quam ut dicamus quid sit agendum? Quod, cum in uita cotidiana, ubi aliquid suademus aut praecipimus, tum in libris de moribus instituendis ac praeceptis sapientiae tradendis, saepissime occurrit. Illum enim gerundiui usum « periphrasticum », qui apud Plautum et Cyprianum comparauit Herkenrath, illic ducenties, hic quadringenties inueniri admonet.[1] Iam uero quid saepius occurrit quam ut non tam certas res aut personas quam actiones ipsas exprimere debeamus? Itaque usitatissimum fuisse etiam gerundiui usum, quo idem dicitur atque abstracto nomine, scriptorum loci plurimi[2] ostendunt. Igitur, dum in usu longe omnium frequentissimo uim passiuam gerundiuo inesse sentiunt, paulatim eam habere huic formae propriam assuerunt.

B. — Sed haec non satis rem quam quaerimus illustrant, magisque, quo modo uis passiua praeualuerit, ostendunt quam quo modo factum sit ut uis actiua prope euanesceret.

Hoc itaque addendum quod usus gerundiui passiuus dum praeualet, actiuum obscurans, alius creuit usus, ut iam obiter monuimus (p. 16) actiuus ille quidem, qui

---

1. Herkenrath, *l. l.* p. 111.
2. Cf. Dosson, *l. l.* p. 19, sq.

participium actiuum alterum in actiui gerundiui locum induxit. Hoc quid sit is facile animo concipiet, qui perspectam habuerit, quam nos supra (ch. I et II), partim a doctis uiris petitam, partim a nobis excogitatam, de prisca Latini uerbi ipsius et participii ratione proposuimus doctrinam. Quae sic breuissime comprehendi potest : ut est, quod ad sensum attinet, uerbum retransitiuum *uoluor* ad transitiuum *uoluo,* ita est ad *uoluens uoluendus.* Horum unum participium transitiuum est, alterum retransitiuum, sed utrumque *actiuum est* : nam uerba retransitiua seu reflexiua (*uoluor*) eorumque participia sensu actiua, non passiua sunt.

Erant igitur *actiui* participii formae duae quarum altera nunquam non actiue, altera interdum etiam passiue adhibebatur. Iam uero, uel propter sensum uerbi, uel propter usum absolutum, idem fere significant participium actiuum in *-ens,* et participium mediae formae. Vergilius enim, ut hoc exemplum afferatur, eodem sensu dicit, pro metri necessitate, modo *uoluendis mensibus*, modo *uoluentibus annis*. Igitur, duabus formis idem exprimentibus cum opus non esset, eius actiuus usus cessit, atque esse desiuit, cuius erat etiam passiuus usus.

Itaque gerundiuum actiuum, dum simul gerundiuo passiuo ac necessitatis, simul participio in *-ens* desinente excluditur, prope totum euanuit.

C. — Ex hoc autem quaedam secuta sunt.

1° Nam, dum fit ut passiuus sensus gerundiui proprius uideatur, is sensus, altero excluso, non tantum participio uerborum passiuorum, sed etiam participio eorum uerborum *deponentium*, quibus ceterae formae actiuae sunt, inhaesit.

Sed hoc qui bene intellexit Lebreton, gerundiuum colligit in ea sensus pullulatione a uerbi declinatione fuisse seiunctum [1]. Quod si ita dicit ut neget gerundiuum parti-

1. LEBRETON, *l. l.* 15 [159] : « Toutefois, dans cette propagation même, l'adjectif passif en *-ndus* parait avoir été indépendant de la conjugaison :

cipium esse, ei assentiri non possum : nam quod ad sensum usumque pertinet tam diuersa est interdum condicio participii a ceterarum uerbi formarum condicione, ut et ipsum in *-ens* desinens participium fieri possit adiectiuum atque etiam substantiuum nomen, reliquae uerbi partes non possint. Ideoque, ac maxime propter usum notatum supra (p. 47), gerundiuum *passiuum* fieri potuit, ceteris formis actiuis remanentibus. — Quod annotat [1] multa esse adiectiua in *-ndus*, quae e uerbis *neutris* proficiscantur, id nescio an uerum non sit. Certe eorum quae profert uerbum nullum, nisi forte *insidiari*, non est aliquando actiue usurpatum. At ipsum *insidiandus* uidetur Tullius concinnitatis gratia alteri gerundiuo opposuisse (*Cael.* 21) : « *magnum crimen uel in legatis insidiandis, uel in seruis sollicitandis.* » Ceterum ex usu absoluto gerundiui in uerbis neutris, cum necessitas exprimenda erat (u. g. *recedendum est*), fieri potuit ut etiam uerborum neutrorum participium ut adiectiuum passiue adhiberetur.

2° Illud etiam secutum est e sensus passiui propagatione quod actiuae formae remanserunt paucissimae : ut *labundus, oriundus, secundus, uoluendus*. Illis autem ea fuit causa remanendi, quod iam diu attributiue saepissime usurpabantur, ut ante (I. c. 1) explicauimus. Sed illis non bene addunt quidam [2] alias formas, ut *florescendus, nascendus, nauigandus, tabescendus*. Nam earum nec aetas eadem est, ut superius admonui (p. 9), nec usus idem, nec nomi-

ce qui du moins le fait supposer avec vraisemblance, c'est que même dans les verbes déponents, l'adjectif en *-ndus* conserve toujours son sens passif à la différence de toutes les autres formes verbales. »

1. Id. *ibid.* n. 1 : « On est encore conduit à la même conclusion quand on considère les nombreux adjectifs en *-ndus* dérivés de verbes neutres, par exemple *utendus, fruendus, potiundus, carendus, gloriandus, insidiandus, erubescendus, dolendus*, etc. V. Neue-Wagener, *Formenlehre* III, p. 2.11. » Cf. Weisweiler, p. 56.

2. Cf. Dosson, *l. l.* p. 33-36, quem multi sequuntur. — Nomina dearum, ut non satis elucidata omisi, item *circumtinniendus, placendus, pereundus*, uarias ob causas. Vid supra, I.1, p. 9 et 10.

natiuo casu proferri debent. Quod melius perspicietur, si quis ad locos in quibus occurrunt attenderit.

Florescendis. — Flora quae rebus *florescendis* praeest (In Fastis Praen., C. I. L. I. p 317.)

Nascendos. — Ad homines quoque *nascendos* uim numeri istius porrigi pertinereque ait (Varro). (Aul. G. *N. A.* III. 10.7.)

Renascendis. — Genethliaci quidam scripserunt... esse in *renascendis* hominibus, quam appellant παλιγγενεσίαν Graeci. (Varr. apud Aug. *De Ciu. Dei* 22.28.)

Nauigandae. — Nautae appellantur omnes qui nauis *nauigandae* causa in naui sunt. (Ulp. *Dig.* IV. 9.1.)

Senescendorum. — Seclum spatium annorum centum uocarunt, quod longissimum spatium *senescendorum* hominum id putarunt (Varr. *Ling. L.* VI. 11.)

Tabescendorum. — Copiam *tabescendorum* hominum. (Lact. *De mort. pers.* 33.9.)

Omnia haec gerundiua, si *nauigandae* excipias, ad ea uerba pertinent quae id exprimant *quod qui facit idem patitur*, ideoque ad uerba reflexiua seu media et tam passiua quam actiua accedunt. Iam uero eorum usus non idem est atque actiuus ille et attributiuus gerundiuorum *labundus*, *oriundus*, cet. Neque enim eodem sensu dicitur *unda labunda*, *spolia secunda*, et *floribus florescendis praeest, ad homines nascendos.* Nam hic posterior usus idem esse uidetur atque ille de quo supra diximus (p. 47), quo ad ponendum in conspectu animi non tam agentem aliquem quam ipsam uerbi actionem, passiuum gerundiuum adhibetur. Idem enim est, quod ad gerundiui usum attinet, *hominis occidendi causa*, et *rebus florescendis praeest*: utrumque nomine incorporali (Gallice : *pour le meurtre d'un homme, à la floraison des choses*) reddi potest. Hic autem usus gerundiui est magis passiui quam actiui, et cum eorum uerborum, quae protulimus, sensu tam passiuo quam actiuo maxime congruit : quo factum est ut in *-o* desinentia participium tamen in *-endus* habere possent.

Sed neque hic gerundiui posterior usus multa sui

uestigia reliquit. Nam, ut cum participio illo antiquissimo in *-ndus* actiuo, certabat actiuum participium quod in *-ens* exit, ita saepe cum hoc usu, quo uerbi ipsa actio exprimebatur, de loco contendebat idem exprimens gerundium: quin etiam attente consideranti exempla superius prolata apparet in eiusmodi locis adhibitum gerundiuum, in quibus, ex Latini sermonis ingenio[1], uix adhiberi posset gerundium.[2]

CAPUT QUARTUM

GERUNDIVO, *REM AGENDAM REI ACTAE* OPPONENTI, ET *AD FUTURUM INFINITIVI GRAECI* REDDENDUM ADHIBITO, NON ITA PRIDEM FUTURI NOTIO ACCREVIT.

Haec cauendum est ne quis credat eadem esse atque ea quae a Weisweiler traduntur. Nam inter eam doctrinam nostramque multum interest. Quam enim ille futuri notionem ab initio fuisse (cf. supra, p. 2 et 22), nos non ante secundum aetatis christianae saeculum accreuisse arbitramur ; quam ille aliquandiu notione necessitatis exclusam postea inualuisse, nos eam, ab initio cum non fuisset, ex illa maxime ortam profitemur.

Sententiam suam Weisweiler, partim Latini sermonis et scriptorum usu, partim grammaticorum auctoritate confirmat. Nos et ea argumenta quae ex formae in *-endus* desinentis similitudine cum indicatiui futuro (*legendus, legentur*), et illa quae ex scriptorum usu adfert, antea

---

1. Ei repugnant structurae huiusmodi: *rerum florescendo, ad hominum nascendum, in hominum renascendo.*

2. Exemplo est hoc Gelli, de quo supra dixi (p. 9, n. 2 « Praeter hoc modum esse dicit summum *adolescendi* humani corporis septem pedes, (*N. Att.* III. IX. 10) in quo *adolescendi* utrum sit gerundium an gerundiuum uix discerni potest.

refellimus (cf. I. c. II. p. 15 sq.). De eis, quae e grammaticorum auctoritate petit, nunc dicendum est.

A. — Prouocat enim doctissimus uir ad ueterum grammaticorum auctoritatem « Qui omnes, ait [1] a Comminiano quem laudat Charisius, cum de modo partiendi et nominandi participia, tum de loco futuri participio passiuo assignando, consentiunt. » Et in annotatiuncula ueterum grammaticorum nomina profert.

Sed horum ueterum nemo, nec ipse Probus[2], ante tertium post Christum seculum fuit. At ea aetate gerundiuum futuri notionem assumpserat, et loco participii in *-um iri* desinentis adhibebatur. Haec cum ita sint, quis miretur illos grammaticos, aptum usui qui tunc fuit gerundiui nomen addentes, participium futuri passiui dixisse?

Itaque miror eidem Weisweiler uideri Priscianum uim participii futuri *principalem* in gerundiuo habere, quod postquam uerbi participia recensuisset quattuor, haec addiderit « omnia tamen in *-ndus* desinentia participia eadem etiam nomina esse possunt cum amittunt tempus, *ut amandus*, ὁ φιληθησόμενος, et ὁ φιλητέος. » Nihil enim grammaticus, dum ita loquitur, indicat, nisi suis temporibus gerundiuo futuri notionem adhaesisse.

Sed nec ab initio, nec Ciceronis quidem aetate, ita fuisse confirmat testis inter omnes locuples. Nam grammaticis illis, ut uult, antiquis antiquior, doctis doctior, quin etiam

1. WEISWEILER, *l. l.* p. 6, n. 1 : « Charisius I p. 180 K : Comminianus grammaticus ita de participio breuiter refert : ...participia... trahuntur a uerbo actiuo duo, praesentis temporis et futuri, ut scribens, scripturus, a passiuo duo, praeteriti temporis et futuri, ut scriptus, scribendus. Vgl. p. 169 : participia praeteriti passiui amatus, futuri amandus. Ebenso Diomedes ib. p. 400 u. a. St; Priscianus, *G. L.* K. III.471 ; Probus IV.138 ; Donatus, ib. p. 363 ; Seruius, p. 417 ; Cledonius, V 17 u. 19.

2. Nam qui locus, addito eius nomine, indicatur, scilicet KEIL, IV.138, is locus ad *Instituta* pertinet de quibus haec KEIL (IV.XXX) : « Instituta artium, inquit, recentiore aetate in nouam formam, quae et ad posterioris temporis utilitatem, et ad primae linguae institutionem accommodata esset redacta sunt... multa uetustioris doctrinae (sc. Probi Berytae), in *Catholicis* relicta sunt, pauca in *Institutis*.

Romanorum teste Quintiliano [1] erudissimus uir, contradicit M. T. Varro. Is enim in libro de *Latina lingua* octauo [2] « Ab *amo*, inquit, et eiusmodi uerbis omnibus, oriuntur praesens et futurum, ut *amans* et *amaturus*; ab eis uerbis tertium quod debet fingi praeteriti, in lingua Latina reperiri non potest: non ergo est analogia. Sic ab *amor*, *legor*, et eiusmodi uerbis uocabulum eius generis praeteriti temporis fit, ut *amatus eram*, *sum*, *ero*; neque *praesentis et futuri ab his fit* [3]. » Itaque teste uiro linguae Latinae peritissimo, *amandus*, Ciceronis aetate, non idem est atque ὁ φιληθησόμενος, ut aetate Prisciani fuit.

B. — Sed relicta grammaticorum auctoritate, quae ipsa nobiscum facit, ad scriptorum usum ueniamus.

Dicit enim Weisweiler principalem futurae actionis significationem in quibusdam locis scriptorum remansisse. Sed ea quae affert exempla non id quod uult significant.

Nam de loco Tulli [4] quem ita laudat : « Respectans in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat *esse ueniendum*, » quis illi assentiatur contendenti non tam ueniendi necessitatem hic exprimi quam spem futurae conuentionis? Quam significare si uoluit Tullius cur non actiuo uerbo *(me esse uenturum)* quod aptissimum fuit, usus est? — De aliis locis quos affert similis ratio est, ut ante uidimus (p. 28), et monent doctissimi uiri. Nam male uerbis T. Liui XXI.22.8: « inter labores aut iam exhaustos aut mox exhauriendos » actiuum aliquid significari ut « inter labores quos exhauserant (-issent) aut exhausturi erant (essent) » arbitratur. Multo melius docent Riemann et

1. QUINTILIEN, X.1.
2. *Ling. Lat.* VIII. 58.
3. Sed neque *praesentis participium* esse a Varrone dici si quis obiciat, eum admonebo ita Varronem dixisse quod nominatiuo casu *amans, amaturus, amatus* protulerat, quo casu *amandus* participium *praesentis* non est, sed *necessitatis*.
4. *Cat. Mai.* 74.

Goelzer[1] hic gerundiuo non quid futurum esset, sed quid fieri oporteret, designari (*les fatigues qu'il faudrait bientôt supporter*). Nec magis uere futuro sensu accipit quae Tullius (*de Off.* I.47) dicit : « Sin erunt merita.... maior quaedam cura adhibenda est » ; et quae T. Liuius XXI. 34.7 : « haud dubium fecit, quin, nisi firmata fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerit. » Nusquam in illis et similibus locis gerundiuo quid futurum, sed quid necessarium sit, exprimitur.

Itaque futuri temporis participium esse gerundiuum, ut iure grammatici qui non ante tertium christianae aetatis seculum fuerunt, pro sua aetate dicunt, ita et antiquissimi ut Varro et recentissimi, ut ii quos paulo ante laudauimus, pro uniuersa Latini sermonis memoria, iure negant[2].

C. — Sed futuri notionem ortam esse ex necessitatis notione quae in propositis locis apparet non negamus. Est enim inter necessariam rem et futuram aliqua cognatio. Quod enim oportet fiat, id non modo nondum factum est, sed ne fit quidem ; ideo futurum tantum est. Itaque in eiusmodi casibus, gerundium recte quod fiat oportet aut necesse est, obiter quod futurum est significat. Haec cum ita sint, M. Tulli et T. Liui sententias quas protulimus, et alias eis similes, si quis considerat, et parum attentus aut parum doctus, gerundiui significationem magis ex uniuerso uerborum contextu, quam ex ui ipsius formae repetit, ei gerundiuum nihil magis exprimere quam futurum uideri potest. Quo errore decepti cum sint eruditissimi uiri, deceptos esse parum diligentes scriptores et uulgus indoctum quis miretur ? Ea uia factum est ut gerundiuum, ad exprimendum futurum, quod uidebatur exprimere, adhiberetur.

1. RIEMANN et GOELZER, *Gramm. comp.* II, 631.IV.

2. Cf. RIEMANN et GOELZER, II, 631.IV. « Dans aucun cas, l'adjectif verbal en *-ndus* n'a chez les bons écrivains le sens d'un participe futur passif. »

D. — Illud etiam ad eum usum propagandum multum contulit, quod *modum* quo futuri infinitiuum passiuum exprimeret, Latinus sermo illis temporibus desiderabat. Nam qui prius fuerat infinitiuus, in *-um iri* desinens, is iam pridem euanuerat, aut certe rarissime adhibebatur.[1] Itaque iam seculo post Christum secundo, cum apud Gellium, tum apud interpretes diuinarum scripturarum, Graeci sermonis uerbum uerbo reddentes, gerundiuum futurum apparet. Exemplum praebet uersio antiquissima, cuius capitulum (II Macc. 7.14) ita profert S[tus] Cyprianus, p. 132.18 ed. Hart. « Potius est ab hominibus morti datos exspectare spem a Deo iterum ab ipso *suscitandos.* » Hic enim *suscitandos* Graecum ἀναστήσεσθαι refert. Cui exemplo alia addit Rönsch (*Itala und Vulgata*, p. 433) : *Mt.* 17.22, filius hominis tradendus est (μέλλει... παραδίδοσθαι) in manus hominum ; *Gen.* 18.18 cum... benedicendae sint (ἐνευλογηθήσονται) in illo omnes nationes terrae.

Sic inducto nouo usu, gerundiuum uocarunt grammatici *participium futuri passiui*, quod nomen ad nos usque peruenit.

1. Exemplum ut afferam, in S[ti] Cypriani operibus, qui medio tertio seculo fuit, participium in *um iri* desinens nusquam comparet, quanquam saepissime eius adhibendi occasio datur. Cf. quae de ea re scripsi : « *Le Latin de saint Cyprien*, p. 253.

EPILOGUS

Iam illuc unde sumus profecti reuertimus. Nam cum formae in *-ndus* desinentis fortunam uariam a posteriore aetate ad priorem regressi repeteremus, usum hunc quo *futurum* exprimit, non ultra secundum post Christum seculum pertinere uidimus, illos uero quibus quid *fieri oporteat*, uel quid *fiat*, uel *ipsam uerbi significationem* reddit, antiquissime inueniri, nisi quod nec gerundium in Oscorum et Umbrorum sermone, nec gerundiuum *necessitatem* exprimens, in Latinae linguae reliquiis, ante Plauti aetatem inuenitur. Ex his uerisimile cum esset gerundiui antiquissimum usum eum fuisse quo quid *fieret,* aut *nudam uerbi significationem* designaret, inde ad recentissimum usum quasi descendentes haec, quae uidebantur, explicare conati sumus : initio uerbi *reflexiui,* interdum passiue adhibiti, fuisse participium quod *infectam* actionem exprimeret; hoc passiue sine subiecto adhibitum factum *gerundium*; et cum subiecto usurpatum in quibusdam structuris quid quis facere deberet exprimentibus, *necessitatis* notionem assumpsisse; ex qua, passiua cum esset, et alio usu passiuo, ita propagatam *passiuam* significationem, ut actiua uix atque aegre in paucissimis formis remaneret, quae primum usum testarentur ; postremo e passiuo gerundiui usu, ea quae fieri deberent eis quae iam facta essent opponente, ortam esse *futuri* notionem, quae non ante secundum christianae aetatis seculum compareret.

Hanc uniuersam de formae in *-ndus* significatione et usu comprehendet et ostendet antiquissimus testis uerbum *sequor*. Huius enim et participia remanserunt duo, alterum actiuum et antiquissimum (*secundus*), magis *attributiue* adhibitum, alterum passiuum ac recentius (*sequendus*), et eius usus ac significatio quas uices experta sit Latini sermonis memoria, earumque linguarum, quae ex eadem stirpe originem ducunt, similitudo satis bene testatur.

Nam huius uerbi in Graeco sermone[1] genus duplex fuit : unum actiuum atque interdum transitiuum ἕπω quod quater in Homeri quae feruntur carminibus occurrit[2]; alterum medium ἕπομαι, quod cum datiuo componitur (ἕπομαί τινι) : unde participia duo ἕπων, et ἑπόμενος. In Latina lingua fuisse actiuum **sequo* testatur Priscianus[3], et ipsum *sequi* passiue usurpatum apud Cornificium[4], et reflexiuum seu medium *sequor*, quod initio non magis transitiuum fuit[5] quam ἑπόμενος : unde participia duo *sequens*, et *secundus*, graecis ἕπων et ἑπόμενος significatione respondentia. Sed cum ea sit huius uocis significatio *ut non multum forma transitiua a reflexiua seu media* differat, ad usum altera alterum adhibitae sunt. Itaque diuersas acceperunt *sequens* et *secundus* prouincias : *sequens* participium remansit, *secundus* autem *adiectiue*[6] maxime aut *substantiue* usurpatum est.

Postea uero cum *sequor* e non transitiuo, uerba *motus* ut *peto* imitans, transitiuum factum esset, nouum accessit participium, passiuum illud quidem, *sequendus*.

1. Inuenitur enim in ueteri Indorum sermone, ut admonet Lindsay, *The latin Language*, p. 520. (O. Ind. sácatē 3 sg ; gk ἕπεται).
2. Z. 321 (τεύχεα ἕπων) ; O. 555 ; K. 516 ; μ. 209. Cf. Autenrieth, *Worterbuch zu den Hom. Gedichten*.
3. Keil, *Grammatici latini* II, Prisc. *inst*. VIII.29, p. 396.21.
4. Riemann et Goelzer, *Gramm. comp*. II, § 210-3° III.
5. Bréal. *Essai de sémantique*, p. 217. « *Sequor* signifiait littéralement je m'attache » ; il correspond au grec ἕπομαι qui prend après lui le datif. Mais on a dit *sequi feras*, *sequi uirtutem*.
6. « *Secundo* defluit amni » Verg. *G*. 3.447 ; cf. *Æn*. 7.494; « secundis uentis » Cic. *Planc*. 39 ; « Me in tuis secundis respice » Ter. *And*. 975.

Hoc pro uario usu uarias fortunae uices expertum est. Nam cum subiecto positum quid fieret, aut nudam uerbi significationem (*sequenda uia peruenies*) expressit; sine subiecto seu impersonaliter adhibitum (*inter sequendum*) *gerundium* factum est. Postea, cum esset in sententiis *propositum* exprimentibus usurpatum (*sequendo hosti designatus*), paulatim *necessitatis* assumpsit notionem : *sequenda uia est, sequendum est.* Ex hoc usu, et alio pariter passiuo (*occidendo homine* = par le meurtre d'un homme) multiplicata passiua significatio actiuam exclusit. Denique dum *iam perfectis quae fieri oportet* opponit (*quae secutus sum* et *quae sequenda mihi sunt*), et *futurum* exprimere parum attentis uidetur, exprimendi *futuri* partes paulatim suscepit.

Has omnes fortunae uices quo ordine forma in *-ndus* desinens experta sit, et noster libellus enarret, haec descriptio repraesentat :

A. *Sequo, transitiuum = ἕπω τι
Sequens = ἕπων τι

A'. Sequor, reflex. = ἕπομαί τινι
Secundus = ἑπόμενός τινι

B. Sequor, transitiuum.
Sequendus, passiuum.

Usus *a* : inter sequendum iter = dum iter tenetur
a' : inter sequendum (absolute), unde
Sequendi, -do, gér.

Usus *b* : sequendo hosti designatus = ad hostis (per)secutionem designatus, unde
Sequendus, part. necessitatis. cuius

Usus *a* : sequenda uia est,
a' : sequendum est

Usus *b* : quae secutus iam sum et quae sequenda mihi sunt, unde
Sequendus part. futuri. (qui sera suivi).

Haec descriptio et quam repraesentat doctrina suadet ut, quod ad *significationem atque usum* attinet, initio idem fuisse arbitremur gerundiuum in Latino sermone, quod fuit in Graeco participium medio-passiuum.

uestigia reliquit. Nam, ut cum participio illo antiquissimo in *-ndus* actiuo, certabat actiuum participium quod in *-ens* exit, ita saepe cum hoc usu, quo uerbi ipsa actio exprimebatur, de loco contendebat idem exprimens gerundium: quin etiam attente consideranti exempla superius prolata apparet in eiusmodi locis adhibitum gerundiuum, in quibus, ex Latini sermonis ingenio[1], uix adhiberi posset gerundium.[2]

CAPUT QUARTUM

GERUNDIVO, *REM AGENDAM REI ACTAE* OPPONENTI, ET *AD FUTURUM INFINITIVI GRAECI* REDDENDUM ADHIBITO, NON ITA PRIDEM FUTURI NOTIO ACCREVIT.

Haec cauendum est ne quis credat eadem esse atque ea quae a Weisweiler traduntur. Nam inter eam doctrinam nostramque multum interest. Quam enim ille futuri notionem ab initio fuisse (cf. supra, p. 2 et 22), nos non ante secundum aetatis christianae saeculum accreuisse arbitramur ; quam ille aliquandiu notione necessitatis exclusam postea inualuisse, nos eam, ab initio cum non fuisset, ex illa maxime ortam profitemur.

Sententiam suam Weisweiler, partim Latini sermonis et scriptorum usu, partim grammaticorum auctoritate confirmat. Nos et ea argumenta quae ex formae in *-endus* desinentis similitudine cum indicatiui futuro (*legendus, legentur*), et illa quae ex scriptorum usu adfert, antea

---

1. Ei repugnant structurae huiusmodi: *rerum florescendo, ad hominum nascendum, in hominum renascendo.*

2. Exemplo est hoc Gelli, de quo supra dixi (p. 9, n. 2 « Praeter hoc modum esse dicit summum *adolescendi* humani corporis septem pedes, (*N. Att.* III. IX. 10) in quo *adolescendi* utrum sit gerundium an gerundiuum uix discerni potest.

refellimus (cf. l. c. II. p. 15 sq.). De eis, quae e grammaticorum auctoritate petit, nunc dicendum est.

A. — Prouocat enim doctissimus uir ad ueterum grammaticorum auctoritatem « Qui omnes, ait [1] a Comminiano quem laudat Charisius, cum de modo partiendi et nominandi participia, tum de loco futuri participio passiuo assignando, consentiunt. » Et in annotatiuncula ueterum grammaticorum nomina profert.

Sed horum ueterum nemo, nec ipse Probus[2], ante tertium post Christum seculum fuit. At ea aetate gerundiuum futuri notionem assumpserat, et loco participii in *-um iri* desinentis adhibebatur. Haec cum ita sint, quis miretur illos grammaticos, aptum usui qui tunc fuit gerundiui nomen addentes, participium futuri passiui dixisse?

Itaque miror eidem Weisweiler uideri Priscianum uim participii futuri *principalem* in gerundiuo habere, quod postquam uerbi participia recensuisset quattuor, haec addiderit « omnia tamen in *-ndus* desinentia participia eadem etiam nomina esse possunt cum amittunt tempus, *ut amandus*, ὁ φιληθησόμενος, et ὁ φιλητέος. » Nihil enim grammaticus, dum ita loquitur, indicat, nisi suis temporibus gerundiuo futuri notionem adhaesisse.

Sed nec ab initio, nec Ciceronis quidem aetate, ita fuisse confirmat testis inter omnes locuples. Nam grammaticis illis, ut uult, antiquis antiquior, doctis doctior, quin etiam

1. WEISWEILER, *l. l.* p. 6, n. 1 : « Charisius I p. 180 K : Comminianus grammaticus ita de participio breuiter refert : ...participia... trahuntur a uerbo actiuo duo, praesentis temporis et futuri, ut scribens, scripturus, a passiuo duo, praeteriti temporis et futuri, ut scriptus, scribendus. Vgl. p. 169 : participia praeteriti passiui amatus, futuri amandus. Ebenso Diomedes ib. p. 400 u. a. St; Priscianus, *G. L.* K. III.471 ; Probus IV.138 ; Donatus, ib. p. 363 ; Seruius, p. 417 ; Cledonius, V 17 u. 19.

2. Nam qui locus, addito eius nomine, indicatur, scilicet KEIL, IV.138, is locus ad *Instituta* pertinet de quibus haec KEIL (IV.XXX) : « Instituta artium, inquit, recentiore aetate in nouam formam, quae et ad posterioris temporis utilitatem, et ad primae linguae institutionem accommodata esset redacta sunt... multa uetustioris doctrinae (*sc.* Probi Berytae), in *Catholicis* relicta sunt, pauca in *Institutis*.

Romanorum teste Quintiliano[1] erudissimus uir, contradicit M. T. Varro. Is enim in libro de *Latina lingua* octauo[2] « Ab *amo*, inquit, et eiusmodi uerbis omnibus, oriuntur praesens et futurum, ut *amans* et *amaturus*; ab eis uerbis tertium quod debet fingi praeteriti, in lingua Latina reperiri non potest: non ergo est analogia. Sic ab *amor*, *legor*, et eiusmodi uerbis uocabulum eius generis praeteriti temporis fit, ut *amatus eram*, *sum*, *ero*; neque *praesentis et futuri ab his fit*[3]. » Itaque teste uiro linguae Latinae peritissimo, *amandus*, Ciceronis aetate, non idem est atque ὁ φιληθησόμενος, ut aetate Prisciani fuit.

B. — Sed relicta grammaticorum auctoritate, quae ipsa nobiscum facit, ad scriptorum usum ueniamus.

Dicit enim Weisweiler principalem futurae actionis significationem in quibusdam locis scriptorum remansisse. Sed ea quae affert exempla non id quod uult significant.

Nam de loco Tulli[4] quem ita laudat : « Respectans in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat *esse ueniendum*, » quis illi assentiatur contendenti non tam ueniendi necessitatem hic exprimi quam spem futurae conuentionis? Quam significare si uoluit Tullius cur non actiuo uerbo *(me esse uenturum)* quod aptissimum fuit, usus est? — De aliis locis quos affert similis ratio est, ut ante uidimus (p. 28), et monent doctissimi uiri. Nam male uerbis T. Liui xxi.22.8: « inter labores aut iam exhaustos aut mox exhauriendos » actiuum aliquid significari ut « inter labores quos exhauserant (-issent) aut exhausturi erant (essent) » arbitratur. Multo melius docent Riemann et

1. QUINTILIEN, x.1.
2. *Ling. Lat.* VIII. 58.
3. Sed neque *praesentis participium* esse a Varrone dici si quis obiciat, eum admonebo ita Varronem dixisse quod nominatiuo casu *amans*, *amaturus*, *amatus* protulerat, quo casu *amandus* participium *praesentis* non est, sed *necessitatis*.
4. *Cat. Mai.* 74.

Goelzer[1] hic gerundiuo non quid futurum esset, sed quid fieri oporteret, designari (*les fatigues qu'il faudrait bientôt supporter*). Nec magis uere futuro sensu accipit quae Tullius (*de Off.* I.47) dicit : « Sin erunt merita.... maior quaedam cura adhibenda est » ; et quae T. Liuius XXI. 34.7 : « haud dubium fecit, quin, nisi firmata fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerit. » Nusquam in illis et similibus locis gerundiuo quid futurum, sed quid necessarium sit, exprimitur.

Itaque futuri temporis participium esse gerundiuum, ut iure grammatici qui non ante tertium christianae aetatis seculum fuerunt, pro sua aetate dicunt, ita et antiquissimi ut Varro et recentissimi, ut ii quos paulo ante laudauimus, pro uniuersa Latini sermonis memoria, iure negant[2].

C. — Sed futuri notionem ortam esse ex necessitatis notione quae in propositis locis apparet non negamus. Est enim inter necessariam rem et futuram aliqua cognatio. Quod enim oportet fiat, id non modo nondum factum est, sed ne fit quidem ; ideo futurum tantum est. Itaque in eiusmodi casibus, gerundium recte quod fiat oportet aut necesse est, obiter quod futurum est significat. Haec cum ita sint, M. Tulli et T. Liui sententias quas protulimus, et alias eis similes, si quis considerat, et parum attentus aut parum doctus, gerundiui significationem magis ex uniuerso uerborum contextu, quam ex ui ipsius formae repetit, ei gerundiuum nihil magis exprimere quam futurum uideri potest. Quo errore decepti cum sint eruditissimi uiri, deceptos esse parum diligentes scriptores et uulgus indoctum quis miretur ? Ea uia factum est ut gerundiuum, ad exprimendum futurum, quod uidebatur exprimere, adhiberetur.

---

1. RIEMANN et GOELZER, *Gramm. comp.* II, 631.IV.
2. Cf. RIEMANN et GOELZER, II, 631.IV. « Dans aucun cas, l'adjectif verbal en *-ndus* n'a chez les bons écrivains le sens d'un participe futur passif. »

D. — Illud etiam ad eum usum propagandum multum contulit, quod *modum* quo futuri infinitiuum passiuum exprimeret, Latinus sermo illis temporibus desiderabat. Nam qui prius fuerat infinitiuus, in *-um iri* desinens, is iam pridem euanuerat, aut certe rarissime adhibebatur.[1] Itaque iam seculo post Christum secundo, cum apud Gellium, tum apud interpretes diuinarum scripturarum, Graeci sermonis uerbum uerbo reddentes, gerundiuum futurum apparet. Exemplum praebet uersio antiquissima, cuius capitulum (ii Marc. 7.14) ita profert S^tus Cyprianus, p. 132.18 ed. Hart. « Potius est ab hominibus morti datos exspectare spem a Deo iterum ab ipso *suscitandos.* » Hic enim *suscitandos* Graecum ἀναστήσεσθαι refert. Cui exemplo alia addit Rönsch (*Itala und Vulgata*, p. 433) : *Mt.* 17.22, filius hominis tradendus est (μέλλει... παραδίδοσθαι) in manus hominum ; *Gen.* 18.18 cum... benedicendae sint (ἐνευλογηθήσονται) in illo omnes nationes terrae.

Sic inducto nouo usu, gerundiuum uocarunt grammatici *participium futuri passiui*, quod nomen ad nos usque peruenit.

1. Exemplum ut afferam, in S^ti Cypriani operibus, qui medio tertio seculo fuit, participium in *um iri* desinens nusquam comparet, quanquam saepissime eius adhibendi occasio datur. Cf. quae de ea re scripsi : « *Le Latin de saint Cyprien*, p. 253.

EPILOGUS

Iam illuc unde sumus profecti reuertimus. Nam cum formae in *-ndus* desinentis fortunam uariam a posteriore aetate ad priorem regressi repeteremus, usum hunc quo *futurum* exprimit, non ultra secundum post Christum seculum pertinere uidimus, illos uero quibus quid *fieri oporteat*, uel quid *fiat*, uel *ipsam uerbi significationem* reddit, antiquissime inueniri, nisi quod nec gerundium in Oscorum et Umbrorum sermone, nec gerundiuum *necessitatem* exprimens, in Latinae linguae reliquiis, ante Plauti aetatem inuenitur. Ex his uerisimile cum esset gerundiui antiquissimum usum eum fuisse quo quid *fieret,* aut *nudam uerbi significationem* designaret, inde ad recentissimum usum quasi descendentes haec, quae uidebantur, explicare conati sumus : initio uerbi *reflexiui,* interdum passiue adhibiti, fuisse participium quod *infectam* actionem exprimeret; hoc passiue sine subiecto adhibitum factum *gerundium*; et cum subiecto usurpatum in quibusdam structuris quid quis facere deberet exprimentibus, *necessitatis* notionem assumpsisse; ex qua, passiua cum esset, et alio usu passiuo, ita propagatam *passiuam* significationem, ut actiua uix atque aegre in paucissimis formis remaneret, quae primum usum testarentur ; postremo e passiuo gerundiui usu, ea quae fieri deberent eis quae iam facta essent opponente, ortam esse *futuri* notionem, quae non ante secundum christianae aetatis seculum compareret.

Hanc uniuersam de formae in *-ndus* significatione et usu comprehendet et ostendet antiquissimus testis uerbum *sequor*. Huius enim et participia remanserunt duo, alterum actiuum et antiquissimum (*secundus*), magis *attributiue* adhibitum, alterum passiuum ac recentius (*sequendus*), et eius usus ac significatio quas uices experta sit Latini sermonis memoria, earumque linguarum, quae ex eadem stirpe originem ducunt, similitudo satis bene testatur.

Nam huius uerbi in Graeco sermone[1] genus duplex fuit : unum actiuum atque interdum transitiuum ἕπω quod quater in Homeri quae feruntur carminibus occurrit[2]; alterum medium ἕπομαι, quod cum datiuo componitur (ἕπομαί τινι) : unde participia duo ἕπων, et ἑπόμενος. In Latina lingua fuisse actiuum **sequo* testatur Priscianus[3], et ipsum *sequi* passiue usurpatum apud Cornificium[4], et reflexiuum seu medium *sequor*, quod initio non magis transitiuum fuit[5] quam ἑπόμενος : unde participia duo *sequens*, et *secundus*, graecis ἕπων et ἑπόμενος significatione respondentia. Sed cum ea sit huius uocis significatio *ut non multum forma transitiua a reflexiua seu media* differat, ad usum altera alterum adhibitae sunt. Itaque diuersas acceperunt *sequens* et *secundus* prouincias : *sequens* participium remansit, *secundus* autem *adiectiue*[6] maxime aut *substantiue* usurpatum est.

Postea uero cum *sequor* e non transitiuo, uerba *motus* ut *peto* imitans, transitiuum factum esset, nouum accessit participium, passiuum illud quidem, *sequendus*.

---

1. Inuenitur enim in ueteri Indorum sermone, ut admonet LINDSAY, *The latin Language*, p. 520. (O. Ind. sácate 3 sg ; gk ἕπεται).
2. Z. 321 (τεύχεα ἕπων) ; O. 555 ; K. 516 ; μ. 209. Cf. AUTENRIETH, *Worterbuch zu den Hom. Gedichten.*
3. KEIL, *Grammatici latini* II, Prisc. *inst.* VIII.29, p. 396.21.
4. RIEMANN ET GOELZER, *Gramm. comp.* II, § 210-3° III.
5. BRÉAL. *Essai de sémantique,* p. 217. « *Sequor* signifiait littéralement je m'attache » ; il correspond au grec ἕπομαι qui prend après lui le datif. Mais on a dit *sequi feras, sequi uirtutem.*
6. «*Secundo* defluit amni » Verg. *G.* 3.447 ; cf. *Æn.* 7.494; « secundis uentis » Cic. *Planc.* 39 ; « Me in tuis secundis respice » Ter. *And.* 975.

Hoc pro uario usu uarias fortunae uices expertum est. Nam cum subiecto positum quid fieret, aut nudam uerbi significationem (*sequenda uia peruenies*) expressit; sine subiecto seu impersonaliter adhibitum (*inter sequendum*) *gerundium* factum est. Postea, cum esset in sententiis *propositum* exprimentibus usurpatum (*sequendo hosti designatus*), paulatim *necessitatis* assumpsit notionem : *sequenda uia est, sequendum est.* Ex hoc usu, et alio pariter passiuo (*occidendo homine* = par le meurtre d'un homme) multiplicata passiua significatio actiuam exclusit. Denique dum *iam perfectis quae fieri oportet* opponit (*quae secutus sum* et *quae sequenda mihi sunt*), et *futurum* exprimere parum attentis uidetur, exprimendi *futuri* partes paulatim suscepit.

Has omnes fortunae uices quo ordine forma in -*ndus* desinens experta sit, et noster libellus enarret, haec descriptio repraesentat :

A. *Sequo, transitiuum = ἕπω τι
Sequens = ἕπων τι

A'. Sequor, reflex. = ἕπομαί τινι
Secundus = ἑπόμενός τινι

B. Sequor, transitiuum.
Sequendus, passiuum.

Usus *a* : inter sequendum iter = dum iter tenetur
a' : inter sequendum (absolute), unde
Sequendi,-do, gér.

Usus *b* : sequendo hosti designatus = ad hostis (per)secutionem designatus, unde
Sequendus, part. necessitatis. cuius

Usus *a* : sequenda uia est,
a' : sequendum est

Usus *b* : quae secutus iam sum et quae sequenda mihi sunt, unde
Sequendus part. futuri. (qui sera suivi).

Haec descriptio et quam repraesentat doctrina suadet ut, quod ad *significationem atque usum* attinet, initio idem fuisse arbitremur gerundiuum in Latino sermone, quod fuit in Graeco participium medio-passiuum.

Quod ad posteriorem uero usum attinet, participii eiusdem diuersa fuit fortuna pro diuersa utriusque sermonis natura atque ingenio. Qui inter se multum differunt quod Latini *articulo* carent. Itaque, in Graeco sermone, ut *gerundium* non fieret, articulus maxime fecisse uidetur, qui cum infinitiuo coniunctus idem quod gerundium Latinum (τοῦ λέγειν = *dicendi*) enuntiare potest. Ut participium Graecum *necessitatem* non exprimeret, illud, opinor, effecit, quod ad designandos eos sensus per quos ea notio in Latinum participium inducta est (*legibus scribundis creatus*), Graeci non datiuo utebantur participii, sed infinitiuo cum articulo et praepositione posito (ἐπὶ τῷ γράφειν νόμους καθεστώς) ; et formam ad exprimendam necessitatis notionem (λυτέος) habuerunt.

Quod ad *originem* figurae in *-ndus* desinentis pertinet, ut ea quae de eius usu diximus, cum etymologia (*ferundus* = φερόμενος) sagacissime a L. Havet proposita optime concordant, ita eam non faciunt omnino necessariam. Sed huic quaestioni soluendae imparem me esse cum intellegam, aliquantum fortasse uiae muniuisse satis sit : altius progredi nolo, ne aut rem actam agere uelle uidear, aut dum maiora uiribus suscipio, ceratis, ut aiunt, pennis nitar,

Vitreo daturus
Nomina ponto. (Hor. O. IV. 2, 3-4).

INDEX RERUM

VIDI AC PERLEGI

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XII Kal. Febr. ann. MCMII,

Facultatis Litterarum in Uniuersitate Parisiensi Decanus

A. CROISET.

TYPIS MANDETUR

Academiae Parisiensis Rector

GRÉARD.

INSULIS. — TYPIS LEFEBVRE-DUCROCQ